CLARISSIMI VIRI IANOCII DE MANECTIS, ... DE DIGNITATE & EXCELLENTIA...

Giannozzo Manetti, Iohannes Alexander Brassicanus






BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
17 1
12

CLARISSIMI VIRI IANOCII DE MANECTIS, Equitis ac Iureconsulti Florentini, ad inclytum Arragonum Regem ALFONSVM, de dignitate & excellentia hominis Libri IIII.




Ex Bibliotheca IO. ALEXANDRI BRASSICANI Iureconsulti, recens in lucem æditi.



BASILEAE

M. D. XXXII

MAGNIFICO AC VERE NO-
bili uiro D. Nicolao Rabenhaupt à Su-
chee, Inclyti Romanorum, Pannonię, &
Bohemiæ regis FERDINANDI per
Auſtriam Cancellario, meritiſs. domino
& patrono opt. Ioannes Alexan-
der Braſſicanus Iurecon
ſultus S. D. P.



VIdeo nos in ea tẽpora incidiſſe, uir ornatiſſime, in quibus homines nihil ita in quotidianis ſermonibus habeant, quàm fidei ac ueritatis nomẽ: interea uero ſic peruerſe, improbeq́ꝫ uiuãt, ut Zoroaſtris illum uerſiculum, quondam oraculi uice celebratum, ſępe ſoleam mecum memoria repetere:

Οὐ γὰρ ἀληθείης φυτὸν ἔστι νῦν ἐπὶ γαίης.

Quem ſic latinum fecimus:

Planta equidem ueri uix terra agnoſcitur omni.

Atqꝫ hæc uniuerſa labes, ſiquid tamen ego intelligo, uix aliò referri

poteſt ac debet etiam, quàm quod bona pars parum exploratũ habemus, quid ſit eſſe hominẽ, hoc eſt, & dignitatis & imbecillitatis ſuæ rationem habere. Cur autẽ non ita dicã, quãdo nulla ſit quæ maior homini dignitas accedere poſſit, q̃ ſi certum eundemq́ cõſtantem uitæ curſum & tenorẽ obtineat: rurſus autem nullũ certius humanę imbecillitatis argumẽtum exiſtat, q̃ in rebus ad immortalẽ uitã præcipue pertinentibus, pluma uentoq́ facilius moueri: Id quod ſeculo noſtro q̃ familiariter peculiare ſit, tu pro tuo ſingulari iudicio, prudentiaq́ illa incomparabili longe melius arbitrari diſpicereq́ poteris. Nunc ut huic malo, uel de alieno liberalis, aliquã medicinã facerem, ſimul & diligentiã meã gratæ mẽtis offi

cio

cio tibi adprobarẽ, mitto ad te im- præſentiarũ IANOTII de Manectis Equitis ac Iurecõſulti Florentini, de dignitate excellentiaq́ꝫ hominis, raræ eruditionis libros IIII, quos uti cõſueuiſti ſucciſiuis horis, & libenter leges, & hoc addictiſs. clientis tui munus æqui boniq́ꝫ facies. Fuit is Ianocius ex peruetuſta, nobiliq́ꝫ Manectorũ familia, uir egregie nobilis, adhæc inſigniter eruditus: quippe unus ex ijs qui è Manuelis Chryſoloræ ludo, tanq̃ꝫ è Pythagoræ ſecretiore ſchola, probe formatus exierit. Imitatus eſt in hoc ſcripti genere M. T. Ciceronem, & Lactantium, quorum eloquentiam ſi non aſſequi potuit, diligentiam tamen atq́ꝫ felicitatẽ tractandi, non adeò abſq́ꝫ ſtudioſorũ fructu ſecutus eſt. Habes & libri

argumentum,& autoris nequaquã aſpernandi inſtitutum. Interea uero uir magnifice, mihiq́; modis om̃ibus obſeruande, bona ſtudia ac illorum ſectatores commẽdatos habere perge, mihiq́; inter illos omniũ infimo, uti pro germana bonitate tua facis aſſidue, hoc duro præſertim tempore, ſinum prębeas. Sic enim, niſi fallor, & gloriæ tuæ & honeſtis om̃ibus artibus iam ferè deſertis, incomparabile præſidiũ afferes: Siquidẽ ut nobilitate, ingenio, fide, bonarumq́; omnium rerũ peritia præſtas, ita par eſt ut à bonis ſcriptoribus, eruditisq́; uiris omnibus maiore ſplendore quotidie inclareſcas. & bene uale. Viennę Auſtriæ ex collegio regio, Anno à nato Chriſto M. D. XXXI. menſe Auguſto.

Hen-

LIBER DE SE.

Paruus ſum liber & ſatis tenellus,
Sed cunctis numeris pereruditus:
Ergo præſidio uiri elegantis,
Certe & præſidio uiri potentis
In lucem eſt opus exeam, ſecundo
Phœbi numine, dexteriſq́; Muſis.
At me Nicoleos meus patronus,
Immo Nicoleos pater benignus
Defendet, leget, omnibus peritis
Scriptorem ſemel adprobabit illum.
Quod ſi liuor edax, ſimulq́; Momus
Nigro fortè ſale uelit nocere,
Ille eſt Nicoleos uocatus, ille,
Fatali arbitrio puto & ſalute,
Qui uulgus facile inuidentiorum
Poſſit fundere, & omnibus malignos
Caſtris exuere: breui paratur
Si cauſſa ualeas bonus triumphus.
Ergo fronte abeo ſemel ſerena,
Paruus ſim licet, at pereruditus.

AD INCLYTVM ARRAGONVM REGEM ALFONSVM Ianotij de Manectis Equitis ac Iureconsulti Florentini præfatio.


ETVS quædam, Serenissime Princeps, eruditorũ uirorũ, qui cogitationes suas literis mandabant, cõsuetudo fuit, ut egregia laborũ suorũ opera ad principes scriberent: q̃d eos duabus duntaxat causis adductos fecisse existimabam: Vna, ut exinde illorũ amor ac beneuolẽtia bonis principibus innotesceret: altera, ut operib⁹ ipsis quæ dignis illorũ principum nominibus dedicabantur, maior propterea autoritas proueniret. Cęterum mihi hanc laudabilem doctorum hominum consuetudinem nũc sequi, & eorum uestigia imitari uel maxime cupienti, duę aliæ causæ accedebant, quibus ego inductus & quasi compulsus meipsum ulterius continere nõ poteram, quin nouũ quoddam opus nuper à me compositũ, cuius titulus est,

De digni

De dignitate & excellẽtia hominis, cum omni reuerentia tuo nomini perſcribe=rem. Harũ prima erat, ut cunctas huma=ni corporis & animi dotes, & omnia to=tius hominis priuilegia tribus prioribus libris antea explicata, in digniſſima et ad mirabili perſona tua affatim conuenire abũdeq; cõcurrere hac noſtra præfatio=ne oſtenderemus: quæ ſigillatim impræ ſentiarũ recenſeremus, niſi ad te ſcriben tes adulationis crimen timeremus, præ=ſertim cũ idipſum pluribus ſcriptorũ no ſtrorũ locis diligenter & accurate hacte nus feciſſe meminerim. Vnum tamen ta citi præterire non poſſumus, cuncta hoc opere late copioſeq; tractata, toties cer=ta & uera uideri nobis, quoties in ſingu=lares quaſdam ac uere admirabiles & pe nè diuinas perſonæ tuæ dotes animum mentemq; cõuertimus. Secunda talis oc currebat: Quũ enim non multo ante Flo rentini populi nomine legati et oratores Neapoli apud te commoraremur, factũ eſt, ut ſemel opuſculum quoddam præci puum & egregium, & magnis inſuper

laudibus & memoratu dignũ, cursim le geremus, quod à Bartholomęo Fatio uiro eruditissimo simulatq; elegantissimo, de eadem materia Nicolao quinto summo Pont. scriptum & dedicatum fuerat. Vnde cum non multo post fortè ad græcam illam celeberrimã ac famosissimam turrim semel essemus, atq; pro humanitate tua prolixũ quendam de studiosis & eruditis hominibus sermonem simul haberemus, modo nescio quo euenit, ut in particularem prædicti opusculi mentionem incideremus. Quocirca paulò post benigne & perhumane quidem à nobis exegisti, ut de eisdẽ rebus scribere uellemus, tibiq; opus dedicaremus. Nos uero qui Maiestati tuæ in primis morẽ gerere & obsequi maxime cupiebamus, nihil nobis gratius fore, respondere nõ dubitauimus, q; ut tibi gratificari & famulari possemus: ideo nos, ut nosti, libenter scripturos, & opus tuo nomini dedicaturos, alacriter iucũdeq; promisimus. Vnde cum paulò post scribere inchoassemus, ac prębreuitate tẽporis inchoatũ

opus

opus perficere & absoluere nequiuisse-
mus, rursus postea resumpsimus, ac nem
pe multo prius absoluissemus, nisi repen
tinus Fœderici tertij nouelli Imperatoris
in Italiã aduentus nos quotidie aliquid descri
bentes parũper retardasset: nam nostræ
Reip. legati honorãdę coronationis eius
causa Romã uenimus, atque ibi tantũ cõmo
rati sumus, quoad ipse inde recederet.
Ex hac itaque legatione postea in patriã re
uersi, ultimas demũ prædicto operi iam
pridẽ inchoato manus imposuimus, atque
cõmemoratis causis adducti, tuo nomini
dedicauimus: ut certi pollicitationũ no-
strarũ debitores, tibi ceu uero illorũ pro
missorũ creditori, tandẽ aliquãdo cõtra-
cta debita solueremus. Totũ aũt opus in
IIII lib. nõ temere & fortuito, sed singu
lari quadã & præcipua consideratiõe, di
uisimus: nã cũ primo singula quæque quæ
in corpore humano, ac deinde in eius ani
ma, & in tota hoĩs persona aliquatenus ap-
parebãt, diligẽter & accurate cõsiderare
mus, nõ iniuria uisũ est nobis, tũ pro maio
ri quadã rerũ tractandarũ dignitate, tum

etiam pro certiori & planiori omniũ co-
gnitiõe, ſingularia illa ſingulis libris ſeor
ſum ac ſeparatim oportunius & conue-
nientius explicare. Quocirca in primo
de egregijs dũtaxat humani corporis do
tibus: In ſecundo de præcipuis quibuſ-
dam rationalis animæ priuilegijs: In ter-
tio de admirabilibus totius hominis mu
neribus, quanto à nobis fieri potuit dili-
gẽtius & accuratius explicauimus: quæ
omnia cũ tribus prioribus libris feciſſe
uideremur, quartũ inſuper adhibere pla
cuit, in quo ea confutaremus quæ à plu-
ribus idoneis autoribus de laudatione et
bono mortis, & de miſeria humanæ uitę
conſcripta fuiſſe intelligebamus, quoniã
illa noſtris quodammodo aduerſari & re
pugnare non ignorabamus. Verum ut
hæc noſtra parua munuſcula tibi gratio-
ra uiderentur, nonnulla etiam partim in
laudẽ Maieſtatis tuæ à nobis antea deſcri
pta, partim nomini tuo dedicata, in uno
& eodem uolumine coartauimus, atque
ad te ſumma cum deuotione è Florentia
uſque Neapolim perferẽda curauimus.
Humiliter

Humiliter itaq; rogamus, ac ſuppliciter obſecramus, ne hæc noſtra paruula munuſcula ullatenus ſpernas: ſed potius ꝓpterea gratanter accipias queſumus, quoniam à nobis, maieſtati tuæ nimirum deditì ſumus, libentiſſime ſimulatq; deuotiſſime tranſmittuntur.

IANOCII
DE MANECTIS, EQVITIS & Iurecõsulti Florentini, ad Inclytum Arragonum regem ALFONSUM, de dignitate & excellentia hominis Liber primus.



VM igitur hoc nostrũ quodcunque opus ab humano corpore feliciter incipere debeamus, ipſum uel ex limo terræ & humo, unde hominem appellatum putant: uel potius, ſi Ioſepho uernaculo Iudæorũ hiſtorico credimus, ex rubea terra conſperſa, quæ hebraice Edon nũcupatur, ex quo Adam, euphoniæ cauſa paululum immutatum, dictum eſſe arbitratur: quanquã eo illius linguæ nomine homo ſignificetur in ſacris literis: ab omnipotenti Deo mirabiliter formatum fuiſſe legimus, quod ipſe per rationalis animæ creationem atque

inſpirationem

inſpirationem diuinitus uiuificās ad contemplationem ſui artificis erexit, ut optime ſimulatque elegantiſſime ingenioſus poëta his carminibus ſignaſſe uiſus eſt:

Pronaq́; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq́; uidere
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere uultus.

Vnde Græci rectius & expreſſius ἄνθρωπον, quod ſurſum ſpectet, quàm nos hominem ab humo, uel q̄ Hebræi Adam ab adamada, appellaſſe & cognominaſſe uidētur. De perfecta igitur humanæ naturę formatione diligēter & accurate indagare et inueſtigare cupiētes, quid duo excellentiſſima cōmemorandorū philoſophorū & oratorū ingenia de hoc ipſo ſenſerint parumper uideamus: ut quantum præſtantes & excellentes homines, partim puris ſuis naturalibus conſtituti, partim ſupno lumine illuſtrati, in eo ipſo ualuerūt, capere et intelligere poſſimus. Proinde propria duntaxat Ciceronis ac Lactantij uerba cæteris omnibus omiſſis, in hoc loco ponere & in medium afferre curabimus. Cicero nanq; cum con

tra Epicurũ,hominem ab immortali deo factum fuiſſe contenderet,in ſecundo de natura deorum in hunc modum locutus eſt:Cum tribus rebus animantiũ uita teneat̃,cibo,potione,ſpiritu,ad hęc omnia perficienda os eſt aptiſſimum, quod adiunctis naribus ſpiritu auget̃. Dentibus in ore cõſtructis mãditur, atq; ab his extenuatur & demolitur cibus, eorum aduerſi acuti morſu diuidũt eſcas,intimi autem cõficiunt, qui genuini uocãtur:quæ confectio etiã à lingua adiuuari uidetur. Linguã autẽ ad radices eius hærens excipit ſtomachus , quo primũ illabuntur ea quæ accepta ſunt. Hic oris utraq; ex parte tonſillas attingens,palato extremo atque intimo terminatur: Atque is agitationibus & motibus linguę cum depulſum & quaſi detruſum cibum accepit,depellit. Ipſius autẽ partes hæ quæ ſunt infrà, in quas id quod deuoratur deſcendit, dilatantur: quæ autẽ ſuprà,contrahuntur. Sed cum aſpera arteria (ſic enim à medicis appellatur) oſtium habeat adiũctum linguæ radicibus paulò ſuprà quàm ad
linguam

linguã ſtomachus annectiť, eaq́ȝ ad pulmones uſq́ȝ pertineat, excipiatq́ȝ animã, ea qua eductus ſit ſpiritus, eadẽq́ȝ à pulmonibus reſpiret & redeat, tegitur quaſi quodã operculo: quod ob eam cauſam datum eſt, ne ſiquid in eam cibi fortè incidiſſet, ſpiritus impediret. Sed cum alui natura ſubiecta ſtomacho cibi & potionis ſit receptaculum, pulmones autẽ & cor extrinſecus ſpiritum adducant, in aluo multa ſunt mirabiliter effecta, quæ cõſtant ferè è neruis. Eſt autẽ multiplex, & tortuoſa, arcetq́ȝ, & cõtinet, ſiue illud aridum eſt, ſiue humidum, quod recipit, ut id mutari & cõcoqui facile poſſit: eaq́ȝ tum aſtringitur, tum relaxat, atq́ȝ omne quod accepit, cogit & confundit, ut facile & calore quem multũ habet in terendo cibo, & præterea ſpiritu omnia tracta atq́ȝ cõfecta in reliquum corpus diuidantur. In pulmonibus autem ineſt raritas quędam & aſſimilis ſpongijs mollitudo, ad hauriendũ ſpiritũ aptiſſima, qui tum ſe cõtrahunt aſpirãtes, tum ſe ſpiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus ani


malis, quo maxime aluntur animantes. Ex inteſtinis autem & aluo ſecretus à reliquo cibo ſuccus is quo alimur permanat ad iecur, per uias quaſdam à medio inteſtino uſque ad portas iecoris. Sic enim appellant ductas & directas uias quę pertinent ad iecur, per quas cadit cibus à iecore dilapſus. Ab eo cibo cum eſt ſecreta bilis, iiq́ humores qui è renibus profunduntur, reliqua ſe in ſanguinem uertunt, ad eaſdem que portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius uiæ pertinent: per quas lapſus cibus ex hoc ipſo loco in eam uenam quę caua appellatur, confunditur, perq́ eam ad cor confectus iam coctusq́ perlabitur. A corde autē in totum corpus diſtribuitur per uenas admodum multas, in omnes partes corporis pertinētes. Quemadmodum autē reliquiæ cibi depellantur, tum aſtringētibus ſeſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſanè difficile dictu eſt, ſed tamen prætereundũ eſt, ne quid habeat iniucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturę. Nam quæ ſpiritu

ritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab ipso spiritu, deinde coagitatiõe pulmonum, ex eaq́ pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadã, quã uentriculũ cordis appellant. Cui similis alter adiunctus est, in quẽ sanguis à iecore per uenã illã cauam influit: eoq́ modo ex his partibus & sanguis per uenas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. Vtræq́ autem crebræ multæq́ toto corpore intextæ uim quandam incredibilem artificiosi operis diuiniq́ testantur. Quid dicam de ossibus, quæ subiecta corpori mirabiles commissuras habent, & ad stabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem? Huc adde neruos, à quibus artus continentur, eorumq́ue implicationem corpore toto pertinentem: qui sicut uenæ & arteriæ à corde tracti & profecti in corpus omne ducuntur. Ad hanc prouidentiã naturæ tam diligentẽ tamq́ solertẽ adiungi multa possunt, è quibus

intelligatur quantę res hominibus à dijs quamq; eximię tributę sint. Quæ primũ eos humo excitatos, celsos et rectos con stituit, ut deorũ cognitionem cœlum in- tuentes capere possent. Sũt enim ex ter- ra homines non ut incolæ aut habitato- res, sed quasi spectatores supernarum re rum atq; cœlestium, quarũ spectaculum ad nullum aliud genus animãtium perti net. Sensus autẽ interpretes ac nuncij re rum in capite tanquã in arce mirifice ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores altissi mum locũ obtinẽt, ex quo plurima con- spicientes fungantur suo munere. Et au res cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis cor porũ partibus collocatæ sunt. Itemq; na res, eo q̃d omnis odor ad superiora fer- tur, recte sursum sunt: & quod cibi & po tionis iudiciũ earum magnum est, nõ si- ne causa uicinitatẽ oris secutæ sunt. Iam gustatus qui sentire eorum quibus uesci mur genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis & poculentis iter na

tura

tura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque ut in ædificijs architecti auertunt ab oculis naribusque dominorũ ea quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura, sic natura res similes procul amãdauit à sensibus. Quis uero opifex, præter naturã, qua nihil potest esse callidius, tantã solertiam persequi potuisset in sensibus? quæ primum oculos membranis tenuissimis uestiuit & sepsit, quas primũ perlucidas fecit, ut per ea cerni posset: firmas autẽ, ut continerent: sed lubricos oculos fecit & mobiles, ut declinarent si quid noceret, & aspectũ quô uellent, facile cõuerterent. Aciesque ipsa qua cernimus, quæ pupilla uocat, ita parua est, ut ea quæ nocere possint, facile uitet: palpebræque quæ sunt tegumenta oculorum, mollissimæ tactu, ne delerent aciem aptissime factæ & ad claudendas pupillas nequid incideret, & ad aperiẽdas: Idque prouidit ut identidem fieri posset cũ maxima celeritate.



munitæq́; sunt palpebræ tanq̃ uallo pilorum, quibus & apertis oculis si quid incideret repelleretur, & somno conniuentibus, cum oculis ad cernendũ nõ egeremus, ut tanq̃ inuoluti quiescerẽt. Latẽt præterea utiliter, & excelsis undiq; partibus sepiuntur: Primũ enim superiora superciliјs obducta sudorẽ à capite & fronte defluentẽ repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutanẽ subiectæ, leuiterq́; eminentes. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse uideatur. Auditus autem semper patet: eius enim sensu etiam dormientes egemus, à quo cum somnus acceptus est, etiã ex somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne qd intrare possit, si simplex & directum patêret. Prouisum etiam, ut si qua minima bestiola conaretur irrũpere, in sordibus aurium tanquam in uisco inhæresceret. Extrà autem eminent quæ appellãtur aures, & tegendi causa factæ tutandiq́; sensus, & ne adiectæ uoces laberentur atq; errarent priusquam sensus ab his pulsus esset; sed duros & quasi corneos habent
introitus

introitus, multisq́ cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu, & ex tortuosis locis & inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ semper propter necessarias utilitates patent, cõtractiores habent introitus, nequid in eas quod noceat possit peruadere: humoremq́ semper habent, ad puluerem multaq́ alia depellenda non inutilem. Gustatus præclare septus est: ore enim continetur, & ad usum apte & ad incolumitatis custodiã. Omnisq́ sensus hominum multò antecellit sensibus bestiarum. Primum enim oculi in his artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis, celatisq́ formis, in corporũ etiã motione ac gestu multa cernunt subtilius: Colorũ etiam & figurarũ, tum uenustatẽ atq; ordinẽ, & (ut ita dicã) decentiã oculi iudicant: Atq; etiã alia maiora: nam & uirtutes & uitia cognoscũt, iratũ, propitiũ, lætantẽ, dolentẽ, fortẽ, ignauũ, audacem, timidumq́ cognoscũt. Auriũ itẽ est admirabile quoddã artificiosumq́

iudicium, quo iudicatur & in uocis & in tibiarum, neruorumq; cãtibus uarietas, sonorum interualla, distinctio, & uocis genera permulta, canorum, fuscum, leñe, asperũ, graue, acutum, flexibile, durum: quæ hominum solum auribus iudicantur. Narium item & gustandi arte & tangendi magna iudicia sunt, ad quos sensus capiendos & perfruendos plures etiam q̃ uellem artes repertæ sunt: perspicuũ est enim quô compositiones unguentorum, quô ciborum conditiones, quô corporũ lenocinia processerint. Ad usum autem orationis incredibile est ubi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primũ enim à pulmonibus arteria usq; ad os intimũ pertinet, per quam uox principium à mente ducens percipiť & funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dẽtibus: ea uocẽ immoderate profusam fingit & terminat, quę sonos uocis distinctos & pressos efficit, cum & ad dentes & ad alias partes pellit oris. Itaq; plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes,

nares

nares cornibus, his quæ ad neruos reſo-
nant in cātibus. Quàm uero aptas, quā́ꝗ
multarum artium miniſtras manus natu
ra homini dedit? digitorum enim contra
ctio facilis, faciliſq́ꝫ porrectio, ꝓpter mol
les cōmiſſuras & artus nullo in motu la-
borat: Itaqꝫ ad pingendum, fingendum,
ad ſculpēdum, ad uerborum eliciendos
ſonos ac tibiarum, apta manus eſt admo
tione digitorum: atqꝫ hæc oblectationis,
illa neceſſitatis, cultus dico agrorū, ex-
tructionesq́ꝫ tectorum, & reliqua. Atqꝫ
hæc Cicero de corpore humano ieiune
& exiliter, ut Lactantio uiro eloquentiſ-
ſimo, ut mihi uero homini nō diſerto ui-
deri ſolet, mirabiliter ac diuinitus elocu-
tus eſt. Nūc de ipſo Lactātio uideamus,
quē in libro de Opificio hominis ſic diſ-
ſerentem legiſſe meminimus: Cum igi-
tur ſtatuiſſet deus ex omnibus animali-
bus ſolū hominem facere cœleſtem, cæ-
tera uniuerſa terrena, hunc ad cœli con-
templationem rigidū erexit, bipedemq́ꝫ
conſtituit, ſcilicet ut eadem ſpectaret un
de illi origo eſt. Illa uero depreſſit ad ter

ram, ut quia nulla his immortalitatis ex-pectatio erat, toto corpore in humũ pro iecta uentri pabuloq; seruirẽt. Hominis itaq; solius recta ratio, & sublimis status, & uultus deo patri communis & proxi-mus, originem suam fictoremq; testatur. Eius propé diuina mens, quia non tantũ animantium quæ sunt in terra, sed etiam sui corporis est sortita dominatũ, in sum-mo capite collocata tanquã in arce sub-limi speculatur omnia & contuetur. Hãc eius aulam deus non obductam porre-ctamq; formauit, ut in mutis animalibus, sed orbi & globo similem: quod orbis ro tunditas perfectæ rationis est ac figuræ: Eo igitur mens & ignis ille diuinus tan-quam cœlo tegitur, cuius cum summum fastigium naturali ueste texisset, priorem partẽ, quę dicitur facies, necessarijs mem brorum ministerijs et instruxit pariter et ornauit: Ac primũ oculorum orbes con cauis foraminibus conclusit, à quo fora-tu frontem nominatam Varro existima-uit: & eos neq; minus neque amplius q̃ duos esse uoluit, quod ad speciem nullus

à quo fr̄om

est

est perfectior numerus quàm duorum: Sicut & aures duas, quarũ duplicitas incredibile est quantam pulchritudinẽ prę se ferat, quod tum pars utraq; similitudine ornata est: tum ut uenientes extrinsecus uoces facilius colligãtur. Nam & forma ipsa mirãdum in modum ficta, quod earum foramina uoluit esse nuda, & inobsepta: quod & minus decorũ & minus utile fuisset, quoniã simplicium cauernarum angustias præteruolare uox posset & spargi, nisi perceptam per cauos sinus & repercussum retentam foramina ipsa conueherent: illis simillima uasculis, quibus impositis solent angustiora uasa impleri. Eas igitur aures noluit deus artifex mollibus pelliculis informare, quæ pulchritudinem demerent pendulæ ac flaccentes: neq; duris atq; solidis ossibus, ne ad usum inhabiles essent immobiles ac rigentes: sed quod esset earum medium excogitauit, ut eas cartilago mollior alligaret: & habent aptam simul & flexibilẽ firmitatem. In his audiendi tantum officiũ cõstitutum est, sicut in oculis uidẽdi,

quorũ præcipue inexplicabilis eſt & mi
ra ſubtilitas, quia eorũ orbes gemmarũ ſi
militudinem præferẽtes, ab ea parte qua
uidendũ fuit membranis perlucentibus
texit, ut imagines rerum contrapoſitarũ
tanquam in ſpeculo refulgentes ad ſen=
ſum intimum penetrarent. Ineffabilis er
go diuinæ prouidẽtię uirtus fecit duos ſi
milimos orbes, eosq́ ita deuinxit, ut nõ
in totum conuerti, ſed moueri tamen &
flecti cum modo poſſent. Orbes autem
ipſos humoris puri & liquidi plenos eſſe
uoluit, in quorum media parte ſcintillæ
luminum concluſæ tenerentur, quas pu
pillas nuncupamus: in quibus puris ac
ſubtilibus cernendi ſenſus ac ratio conti
netur. Per eos igitur orbes ſeipſam mẽs
intendit, ut uideat: miraq́ ratione in unũ
miſcetur & coniungitur amborum lumi
num uiſus. Vt igitur oculi munitiores
eſſent ab iniuria, eos ciliorũ tegminibus
occuluit: unde oculos dictos eſſe Varro
ni placet. Nam & ipſæ palpebræ, quibus
mobilitas ineſt, palpitatio uocabulũ tri=
buit: & pilis in ordine ſtantibus uallatæ,
ſeptũ

ſeptum oculis decentiſſimum præbent: quarum motus aſſiduus incomprehenſi bili celeritate concurrens, & uidendi te= norem non impedit, & reficit obtuſum. Acies enim, id eſt membrana illa perlu= cens, quã ſiccari & obareſcere non opor tet, niſi humore aſſiduo terſa pure nite= at, obſoleſcit. Quid ipſa ſuperciliorum faſtigia pilis breuibus adornata? nónne quaſi aggeribus & munimentum oculis nequid ſuperne incidat, & ſpeciẽ ſimul præſtant? Ex quorũ confinio naſus exo riẽs, & ueluti æquali porrectus iugo, ue= ramq; aciem ſimul & diſcernit & munit. Inferius quoq; genarum non indecens tumor, in ſimilitudinem collium leuiter exurgens, ab omni parte oculos efficit tutiores: prouiſumq; eſt ab artifice ſum= mo, ut ſi quis forte uehemẽtior ictus ex= titerit, eminentibus repellatur. Naſi ue= ro pars ſuperior uſq; ad medium ſolida formata eſt: inferior autẽ cartilagine ad= hæret molli, ita ut ad uſum digitorũ poſ= ſit eſſe tractabilis. In hoc autẽ quãuis ſim plici membro, tria ſunt officia cõſtituta:

unum ducendi ſpiritus: alterum capien-
di odoris: tertium, ut per eius cauernas
purgamenta cerebri defluant: quas ipſe
deus tam mirabili quàm diuina ratione
molitus eſt, ut tamen hiatus naſi oris ſpe-
ciem non deformaret, quod erat planè fu
turum ſi ſimplex foramen patêret: At id,
ueluti pariete per medium ducto, inter-
ſepſit atq; diuiſit, fecitq; ipſa duplicitate
pulcherrimũ. Ex quo intelligimus quan
tum dualis numerus una & ſimplici com
page ſolidatus, ad rerũ ualeat perfectio-
nem. Nam cum ſit corpus unum, tamen
totum ex ſimplicibus membris conſtare
non poterat, niſi ut eſſent partes uel dex-
træ uel ſiniſtræ. Itaq; ut pedes duo, & itẽ
manus, non tantum ad utilitatem aliquã
uſumq; uel gradiendi uel faciendi ualẽt,
ſed ad habitũ decoremq; admirabilẽ con
ferunt: ſic & in capite, quod totius diuini
operis quaſi culmẽ eſt, & auditus in duas
partes, & uiſus in duas acies, & odoratus
in duas nares à ſummo artifice diuiſus
eſt: quia cerebrum in quo ſentiendi ratio
eſt, quamuis ſit unum, tamen in duas par

tes

tes membrana interueniẽte diſcretũ eſt. Sed & cor, quod ſapiẽtiæ domiciliũ uidetur, licet ſit unũ, duos tamen intrinſecos ſinus habet, quibus fontes uiui ſanguinis continentur, ſepto intercedente diuiſi: ut ſicut in ipſo mundo ſumma rerũ, uel de ſimplici duplex, uel de duplici ſimplex & gubernat & continet totũ, ita in corpore de duobus uniuerſa cõpacta indiſſociabilem prætenderent unitatẽ. Oris quoq; ſpecies & rictus ex tranſuerſo patefactus ꝙ utilis quamq; decẽs ſit, enarrari nõ poteſt, cuius uſus in duobus cõſtat officijs, ſumẽdi uictus & eloquẽdi. Lingua intus incluſa, quæ uocẽ motibus ſuis in uerba diſcernit, & eſt interpres animi, nec tamẽ ſola poteſt per ſe loquendi munus adimplere, niſi acumen ſuũ palato illiſerit, niſi adiuta uel offenſione dentiũ, uel cõpreſſione labiorũ. Dentes tamẽ plus cõferũt ad eloquendũ: nam & infantes non ante incipiũt fari, ꝙ dẽtes habuerint: & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiã reuoluti denuo eſſe uideãtur. Atq; ipſos ne nudi ac reſtricti magis horrori

quàm ornamento essent, gingiuis mollibus, quæ à gignẽdis dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honestauit: Quorum durities sicut in molari lapide maior est & asperior ꝙ in cæteris ossibus, ut ad conterendos cibos, pabulumq́ sufficeret. Labra ipsa, quę quasi antea cohærebant, quàm decenter intercîdit? quorũ superius sub ipsa medietate nariũ lacuna quadam leui, quasi ualle signauit, inferius honestatis gratia foras molliter explicauit. Nam quod attinet ad saporẽ capiendũ, fallitur quisquis hunc sensum palato inesse arbitratũ: Lingua est enim qua sapores sentiũtur: nec tamen tota: nam partes eius, quæ sunt ab utroq; latere teneriores, saporem subtilissimis sensibus trahunt: Et cum neq; ex cibo quicquam, neq; ex potione minuatur, tamen inenarrabili modo penetrat ad sensum sapor eadem ratione qua nihil de quacunque materia odoris decerpit. Cætera quàm decora sint, uix exprimi potest. Deductum clementer à genis mentum, & ita inferius cõclusum, ut acu
men

men eius extremum ſignare uideatur leuiter impreſſa diuiſio. Rigidum ac teres collũ, ſcapulæ uelut mollibus iugis à ceruice demiſſæ, ualida & ſubſtricta neruis ad fortitudinem brachia, inſignibus toris extentum lacertorum ingens robur, utilis ac decens flexura cubitorum. Quid dicam de manibus, rationis ac ſapientiæ miniſtris? quas ſolertiſſimus artifex plano, ac modice concauo ſinu fictas, ut ſi quid tenendũ ſit, apte poſſit inſidere, in digitos terminauit: in quibus difficile eſt expedire, utrum ne ſpecies an utilitas maior ſit: Nam & numerus perfectus ác plenus, & ordo & gradus decentiſſimus, & articulorum parium curuatura flexibilis, & forma unguium rotũda concauis tegminibus digitorum faſtigia comprehendẽs ac firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornamentum. Illud uero ad uſum miris modis habile, quod unus à cæteris ſeparatus, cum ipſa manu oritur, & in diuerſum maturius finditur: qui ſe uelut obuium cæteris præbens, omnem tenendi faciendiq;

Mirabile in manibus artificium.

rationē uel ſolus uel præcipue poſſidet, tanquam rector omnium & moderator: Vnde etiā pollicis nomen accepit, q̄d ui & poteſtate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non ut alij ternos, ſed unus ad manus carnē ne- ctitur pulchritudinis gratia: ſi enim fuiſ- ſet tribus articulis & ipſe diſcretus, fœda & indecora ſpecies ademiſſet manibus honeſtatem. Nam pectoris latitudo ſub- limis, & expoſita oculis, mirabilem præ ſe fert habitus ſui dignitatem: Cuius hæc cauſa eſt, quod uidetur hominem ſolum deus ueluti ſupinum formaſſe: nam ferè nullum animal in tergum iacere poteſt: mutas autem animantes, quaſi ἄφρονα, al terno latere iacentes finxiſſe, & ad terrā compreſſiſſe. Idcirco illis anguſtum pe- ctus, & ab aſpectu remotum, & ad terrā uerſus abiectum: homini autem patens & erectum, quia plenum rationis à cœlo datæ, humile aut indecens eſſe non de- buit. Papillæ quoq; leuiter eminentes, & fuſcioribus ac paruis orbibus coronatæ, nonnihil addunt uenuſtatis: fœminis ad

Pollex unde.

alendos

alendos fœtus datæ, maribus ad ſolum decus, ne informe pectus & quaſi mutilum uideretur. Huic ſubdita eſt planities uentris, quã mediam ferè umbilicus non indecenti nota ſignat, ad hoc factus, ut per eum fœtus dum eſt in utero nutriatur. Sequitur neceſſariò ut de internis quoq; uiſceribus dicere incipiamus, quibus non pulchritudo, quia ſunt abdita, ſed utilitas incredibilis attributa eſt. Quoniã opus fuit, ut terrenum hoc corpus ſucco aliquo de cibis & potibus aleretur, ſicut terra ipſa imbribus ac pruinis, prouidentiſſimus artifex in medio eius receptaculũ cibis fecit: Quibus concoctis & liquefactis, uitales ſuccos membris omnibus diſpertiret. Sed cum homo conſtet ex corpore & anima, id quod ſuprà dixi receptaculum ſoli corpori præſtat alimentum: Animæ uero aliam ſedẽ dedit; fecit enim quoddã genus uiſcerũ molle atq; rarũ, q̃d pulmonẽ uocamus, eumq; non in uteri modũ finxit, ne effunderetur ſimul ſpiritus aut inflaret ſimul. Ideoq; ne plenũ quidẽ uiſcus effecit, ſed

inflabile atque aëris capax, ut paulatim spi
ritum reciperet, dum uitalis uentus per il
lam spargitur raritatem: & eundem rur=
sus paulatim redderet, dum se ex illo ex=
plicat. Ipsa enim uicissitudo spirãdi respi=
randique tractus, uitam sustentat in corpo
re. Quoniã ergo duo sunt in homine re=
ceptacula, unum aëris, quod alit animã:
alterum ciborum, quod alit corpus: duas
per collum esse fistulas necesse est, ciba=
lem & spiritalem: quarũ superior ab ore
ad uentrem ferat, inferior uero à naribus
Spiritus cibiq; meatus diuersi ad pulmonem. Quarum natura & ratio
diuersa est: Ille enim qui est ab ore transi=
tus mollis effectus, & qui semper clau=
sus cohæreat sibi, sicut os ipsum: quoniã
potus & cibus dimota & patefacta gula,
quia corporales sunt, spacium sibi trans=
meandi faciunt. Spiritus contrà, qui est
incorporalis ac tenuis, quia spacium sibi
facere non poterat, accepit uiã patẽtem,
quæ uocatur gurgulio. Is constat ex ossi
bus flexuosis ac mollibus, quasi ex annu
lis in cicutæ modum inuicem compactis
& cohærẽtibus, patetque semper hic trãsi=

tus: Nullam enim requiem meandi po=
test habere spiritus: quia is qui semper cõ
meat, demissa utiliter de cerebro mẽbri
portione, cui uua nomen est, uelut oc=
cursu quodam refrenatur, ne aut teneri=
tudinem domicilij cum impetu ueniens
attracta pestilenti aura corrumpat, aut to
tam nocẽdi uiolentiam internis recepta=
culis perferat. Ideoq; etiã nares breuiter
sunt apertę, quæ idcirco sic nominantur,
quia per eas uel odor uel spiritus nare
non desinit. Tamen huic fistulæ spiritali
non tantum ad nares, uerũ ad os quoq;
iter patet in extremis palati regionibus:
ubi se colles faucium spectantes uuam,
tollere incipiunt in tumorem: cuius rei
causa & ratio non obscura est. Loquendi
enim facultatem non haberemus, si sicut
iter gulæ ad os tãtum, ita & gurgulio ad
nares tantum pateret. Aperuit igitur uiã
uoci diuina solertia ex illa fistula spiritali,
ut posset lingua ministerio suo fungi, &
uocis ipsius inoffensum tenorẽ pulsibus
suis in uerba concidere. Cibi uero in al=
uum recepti, & cum potus humore per=

mixti, cum iam calore percocti fuerint, eorũ succus inenarrabili modo per membra diffusus, irrigat uniuersum corpus & uegetat. Intestinorum quoq; multiplices spiræ ac longitudo in se conuoluta, uno tantum substricta uinculo, quàm mirificũ dei opus est? Nam ubi maceratos ex se cibos aluus emiserit, paulatim per illos internorum anfractus extruduntur, ut quicquid ipsis inest succi, quo corpus alitur, membris omnibus diuidatur. Et tamen ne qui fortè obhæreant ac resistant, quod fieri poterat propter ipsorum uoluminum flexiones in se sæpe redeũtes, & fieri sine pernitie non poterat, oppleuit ea intrinsecus crassiore succo, ut purgamenta illa uentris ad exitus suos facilius per lubricum niterentur. Illa quoq; ratio subtilissima est, quod uesica, cuius usum uolucres non habent, cum sit ab intestinis separata, nec ullam habeat fistulam, quà ex illis urinam trahat, completur tamen & humore distenditur. Id quomodo fiat, non est difficile peruidere: Intestinorum enim partes quæ ab al-

ro cibum, potumq́ꝫ suſcipiunt, patentio res ſunt quàm cæteræ ſpiræ, & multò tenuiores: hæ ueſicam complectuntur & continent, ad quas partes cum potus & cibus mixti peruenerint, fimum quidem craſſius fit, & tranſmeat: humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur, eumq́ꝫ ueſica, cuius æque tenuis ſub tilisq́ꝫ membrana eſt, abſorbet ac colligit, ut foras quà natura exitum patefecit emittat. De utero quoque & conceptione, quoniam de internis loquimur, dici neceſſe eſt, ne quid præteriſſe uideamur: quæ quanquam in operto lateant, ſenſum tamen atque intelligentiam latêre non poſſunt. Vena in maribus quæ ſemen continet, duplex eſt, paulò interior quàm illud humoris obſcœni receptaculum: ſicut enim renes duo ſunt, itemq́ꝫ teſtes, ita & uenæ ſeminales duæ, in una tantum compage cohærentes. Ipſum ſemen quidam aiunt, ex omni corpore ad uenam genitalem confluere. Et reliqua huiuſmodi proſecutus, paulò poſt ita inquit: Ego ipſorum genitalium

membrorum nunc mirificam rationē poteram exponere, nisi me pudor ab huiusmodi sermone reuocaret. Itaque à nobis indumento uerecundię quę sunt pudenda uelentur. Quid reliquæ corporis partes, num carent ratione ac pulchritudine? cōglobata in nates caro, quàm sedendi officio apta? & eadem firmior quàm in cæteris membris, ne premente corporis mole, ossibus cederet. Item femorum deducta & latioribus toris ualida longitudo, quò facilius onus corporis sustineret quam paulatim deficientē in angustū genua determinant: quorum decentes nodi flexuram pedibus ad gradiendum sedendumq́ꝫ aptissimā præbent. Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes: sed teretibus suris clementer extantibus sensimq́ꝫ tenuatis, et firmata sunt et ornata. In plātis uero eadem quidem, sed tamen longe dispar q̃ꝫ in manibus ratio est: quæ quoniam totius corporis fundamenta sunt, mirificus eas artifex non rotūda specie, ne homo stare non posset, néue alijs ad standum

Pedū descriptio.

stãdū pedibus indigeret, sicut quadru-
pedes, sed porrectiores longioresq́ for-
mauit, ut stabile corpus efficerent plani-
tie sua: Vnde illis inditum nomē est. Di-
giti æque totidem, quot in manibus, spe
ciem magis q́ usum præferentes, ideoq́
& iuncti & breues, & gradatim cōpositi:
quorum qui est maximus, quoniā illum
sicut & in manu discerni à cæteris opus
non erat, ita in ordinem redactus est, ut
tamē ab alijs magnitudine ac modico in-
teruallo distare uideatur. Hæc eorū spe-
ciosa germanitas, non leui adiumento ni
sum pedum firmat: cōcitari enim ad cur-
sum nō possumus, nisi digitis in humum
pressis, soloq́ nitentibus, impetū saltūq́
capiamus. Atque hæc omnia Lactantius
de corpore humano mirabiliter profe-
ctò ac diuinitus explicasse deprehendit:
& tamen ipse multa de industria preter-
misisse cōfirmat, quæ usq́ adeò dubia &
obscura esse uidebātur, ut nemo eorum
uim rationemq́, nisi fabricator ille omni
potentissimus, clare & aperte perspicere
potuisset. Cum igitur ea superius enar-

rauerimus quę de corpore humano duo diuini homines, & Latinæ linguę illuſtra tores, perpetuis literarum monumentis mandare non dubitarunt: reliquuum eſt ut quid de eiſdē rebus phyſici ſenſerint, qui accuratam quandam humani corpo=ris anatomiam ſcriptam reliquêre, uel pa rumper uideamus. Quoniam uero hæc prædicti corporis fabricatio cæteris ani=mãtibus longe dignior atq; admirabilior eſſe uidetur, nõ abſurdũ fore putamus, ſi anteq̃ ad membra particularia ſigillatim deſcēdamus, aliqua memoratu digna de corporis noſtri excellētia, cunctorumq; aliorum differentia, breuiter diſſeramus. Corpus igitur noſtrũ, ſi diligenter & ac=curate proprias eius conditiones, & non nullas præcipuas qualitates cõſideraue=rimus, cũ figura, tum generali & uniuer ſali magiſterio, tum quoq; neceſſaria qua rundã ſuperfluarũ partiũ carentia, tribus peculiaribus & egregijs dotibus, cætera oĩa multũ admodũ excellere, ab alijs q; differre diſtareq; comperiemus. Figura, ut de ſingulis pauca quædam breuiſſime

refera=

referamus, cæterarum omnium nobilissi ma, ita intuentibus apparet, ut de ea nullatenus ambigi dubitariue possit. Nam sic rigida & recta est, ut cunctis alijs animantibus in terram pronis humiq; depressis, quasi solus eorũ omniũ dominus & rex & imperator, in uniuerso terrarũ orbe non immeritò dominari ac regnare & imperare uideatur. Cuius quidem erectionis & staturæ cum causas quæreremus, quatuor duntaxat apud physicos fuisse reperiebamus. Prima erat materiæ leuitas: quæ cum esset spumosa & aërea, præsertim si cũ ceteris animantibus com pararetur, ab alijs causis adiuta in altum eleuabatur. Secunda, caloris magnitudo efferebatur: quippe humanum corpus eiusdem quantitatis animalibus ampliorem & intensiorem calorem habere perhibetur & creditur. Tertio loco formæ perfectio accedebat: perfectissima enim humanæ intelligentiæ forma excellentissimam atque rectissimam figuram exigebat. Quarta ratione finis ostẽdebatur: Nã homo suapte natura ad intelligendũ

natus & institutus erat: in quo quidem eius proprio & peculiari officio, nobilitas & excellentia uisus & auditus, sensuū (ut ita dixerim) sensatorum ac sagacium, apprime sibi famulant̃ & seruiunt: quod efficere nequaquam potuissent, nisi editum aliquem & eminentem locum positionibus suis obtinuissent. Cuius similitudinem in urbium oppidorumq́ue præsidibus & gubernatoribus prospicere & intueri licet, qui in altis magnarū turriū ædificationibus arduisq́ue artium munitionibus, urbanorum custodum habitacula cōstruere & ædificare consueuerunt. Circa secundam uero differētiam uel potius excellentiam considerandum est, quod pleraque animalia ad alicuius siue artis siue artificij participationem naturali quodam instructu inclinata ferūtur, quod in araneis & apibus atque hirundinibus & alijs quibusdam solertibus animantibus manifeste deprehenditur. Hoc autem rationale idcirco à natura ita factū itaq́ue institutum esse creditur, ut ad cuiuslibet artis, nō ad unius soli⁹ perceptionē, aptius

habiliusq́ oriretur: si enim homo ad certam quandā artem, ceu de araneis & apibus dicitur, à natura instructus accessisset, profectò quemadmodum illis animalibus contigisse uidemus, cæteris penè omnibus exercitijs & professionibus caruisset. At uero ei datæ & exhibitæ fuerunt manus, ut per huiusmodi non inanimata, sed quasi uiua instrumenta, & (ut inquit Aristoteles) organorum organa, uaria diuersarum artium iam perceptarum opera & officia exercere & exequi posset. Quocirca multis superfluis & superuacaneis partibus, ut cornibus, rostris, aduncis unguibus, uillosis pellibus, pinnis & squamis, caudisq́, & huiusmodi deformationibus omnino caruisse existimatur & creditur. Cum itaq; de talibus humani corporis uel differentijs uel excellentijs pauca hæc retulerimus, restat ut ad particularia eius membra breuiter accedamus: nō enim in præsentiarum id agimus, ut cūcta illa referamus quæ Aristoteles & Albertus summi philosophi in suis illis prȩclaris & decantatis anima-

lium uoluminibus, nec ea insuper quæ Galenus & Auicenna excellētissimi medicinæ artis autores, in proprijs ipsarum anatomiarū codicibus tradiderūt. Hanc humani corporis fabricationem supra q̄ dici potest admirantibus nobis, & solennem quandam ac diuinam diuersorum membrorū compactionem singulari admiratione sæpenumero cōsiderantibus, de ossibus primo, tanquam de necessarijs quibusdam futuri ædificij fundamentis: de extrinsecis deinde membris, quæ sensibus patent: tertio, de intrinsecis & occultis, breuius quoad fieri poterit, scribere ac referre placuit. Cunctorum ossium quæ in toto corpore reperiuntur (ut omissis particularibus, ne fortè in rebus superfluis nimis curiosi fuisse uideremur, & uniuersali quadam relatione contenti simus) partim uelut quædam reliquorum membrorū fundamenta putantur, quoniam in his, ceu in nonnullis solidis fundamentis, totum corpus constructum & fabricatum esse conspicitur: qualia sunt dorsi spondyli: hæc enim nō

Ossa in corpore.

aliter

aliter humani corporis cernuntur, quàm illud lignũ alicuius nauis uideatur quod in ea primum collocatur & ponitur: Partim uero ita existimãtur, uelut si clypeus quidam ad tuitionem & protectionẽ militis cuiusdam accommodaretur: Qualia sunt cranei ossa: Partim insuper uelut arma quædam perhibentur: nam his ipsis quasi armis quibusdam propugnatores offendere ac lædere cupientes longe repellunt, cuiusmodi minuta quædam ossa reperiuntur quæ à medicis sisamina nuncupantur: Partim deniq; uelut columnæ & bases ad suspensionem & erectionem aliquorum membrorum institutæ uidentur: Quale esse dicitur lambdæ os, sic ad similitudinẽ Græci illi9 characteris nũcupatũ. Quorũ omniũ quãtæ & quales sint in corpore nostro utilitates uarijs necessitatibus cõditæ, quoniã difficile dictu est, & nimis supuacaneũ esset si singula queq; ꝓsequeremur: idcirco de industria prætermisimus, ad extrinseca mẽbra celerrime ac breuissime festinãtes. Pedes, ut ab inferioribus incipiamus, homini mouẽdi

& ambulandi gratia dati sunt: Ideoq; ita instructi itaq; fabricati esse cernuntur, ut si aliter facti fuissent, officio suo fungi nequaquam potuissent. Mirabilis profectò est eorum forma: admirabilior musculorum contextio: Admirabilissima omniũ digitorum inter se cum tanto decore distinctio & separatio. Quid de tibijs & cruribus? Quid de genibus & coxis dicemus? nónne hæc omnia subtili quodam solertiq; artificio ita constructa esse uidemus, ut sponte sua moueri, & reliquum corpus ferre ac sustentare facile queant? De testiculis rursus ac pudendis, quanta solertia ad generandum instituta & procreata sint, explicare difficile foret. Quid insuper de uentre, umbilico, stomacho, thorace ac pectore & intestinis sentiemus? Quid præterea de spatulis & brachijs? Quid de cubitis & manibus? Quid de renibus & nucha? qd deniq; de collo & gutture referemus? nõne singula quęque tanto ac tam mirabili opificio cõstructa & fabricata fuisse conspicimus, ut de deo humani corporis autore nullatenus
ambigere

ambigere ſuſpicari'ue debeamus? de qui bus ſigillatim nõnulla memoratu digna ſcribere & literis mandare uoluiſſem, niſi nimiam orationis prolixitatem timuiſſem: quod de induſtria uitaui, præſertim cum plura doctiſſimorum & elegantiſſimorum hominum documenta ſuperius à nobis recitata fuiſſe meminiſſem. Cæterum de capite, reliquis extrinſecis unà cũ pulmone & hepate, ſplene & corde, inteſtinis & cũctis aliјs interioribus omiſſis, quoniam idipſum cæterorum membrorum nobiliſſimum & præſtantiſſimum eſſe iure exiſtimatur & creditur, nonnulla excelſa & digna eius priuilegia paulò accuratius & diligentius recenſebimus. Quocirca ante omnia ſingulares quaſdã totius ipſius cõditiones & pręcipuas, deinde partium ſuarum qualitates, parumper attingemus. Plura de capite noſtro etiã atq; etiã conſiderantibus nobis, præ cæteris mẽbris data ei & exhibita priuilegia fuiſſe cõſtabat. Primo nãq; ipſum nobiliori & excelſiori loco conſtitutum & collocatum, digniori deinde & ampliori

figura ornatum, postremo maiori quantitate preditum extitisse cōspiciebamus. Etenim ut de singulis pauca quædā breuissime simulatq; uerissime expediamus: Nimirum superiorem ac supremum arcis locū, ob sensus homini ad sciētiam & intelligentiā famulantes, obtinuisse perhibetur & creditur. Figuræ uero rotundæ ac sphæricę ita utrinq; pressæ, ut ante & retro aliqualiter tumidū, dextrorsum uero & sinistrorsum leuiter planū cerneretur, ob cerebri magnitudinē ac necessariam quandā uentriculorū suorū distinctionem, fuisse tradit̄. Talis quippe figura & cæterarū omniū capacissima est, & nisi in solo pūcto, quemadmodū à mathematicis plane & aperte demonstrat̄, tangi nequaquā potest. Proinde ea ipsum figura praeditū & ornatū apparuisse uidemus, ut & cerebrū cū uarijs uentriculorum suorū distinctionibus caperet, simul atq; ab extrinsecis læsionibus tutaretur. Magnitudinis postremo et molis quantitas, præter aliqualem illius figuræ rotunditatem, ideo necessaria fuit, ut & ampli-

tudinem

tudinem cerebri, & quæ ab eo oriebant, uenuſte apteq́ꝫ cõplecterentur. Decem præterea præcipua & ſingularia in hoc nobiliſſimo atq́ꝫ digniſſimo mẽbro, à medicis medicinæq́ꝫ autoribus conſiderata fuiſſe legimus: de quorũ ſingulis, ceu de capillis & cute, de carne ac pãniculo exteriori, de craneo, de duobus panniculis interioribus, de cerebro, de duobꝰ item panniculis inferioribus, de rete inſuper mirabili, & de oſſe paſſillari, ſic enim ab illis nũcupatur, quædã enarrabimus. Capilli quãquam ex neceſſitate materiæ generati eſſe uiderẽtur, quoniam caput eſt in arce, uelut unicũ quoddã et ſolũ totius ædificij caminum, quô omnes corporis uapores & fumi redigũtur, ad neceſſitatem tamen finis, extrinſecarũ ſcilicet læſionum tuitionem ac protectionem referuntur. Cutis ob duas duntaxat cauſas robuſta ac groſſa extitiſſe creditur, cum ut capilli in ea tanquam in tenaci quadam radice fortius figerẽtur, tum etiam quia honeſtum quoddam & ſolidũ oſſis & cerebri uelamen erat, quoniam ſupra

craneum nulli muſculi extare & appare re cernuntur. De carne in fronte, in temporibus, in mãdibulis, extrinſecus apparẽte, nihil aliud breuitatis cauſa dicimus, quàm ſi de aliquo pulchro cooperimẽto ac uelamine diceremus. Panniculus ille exterior, ob tres præſertim utilitates inſtitutus & factus fuiſſe ſcribitur: primo ne craneum à cute, & rurſus cutis à craneo, nullo mediante, tangeretur: deinde ut craneum per hunc panniculum ſentiẽdi uigorẽ ꝑciperet, ac ſentiret, quo ſine expers ſenſus, & (ut ita dixerim) inſenſatũ remanſiſſet: poſtremo, ut mediatore hoc panniculo, dura mater à craneo ſuſpenderetur. Etenim hic pãniculus ex neruis & ligaminibus generatur, quę à dura matre per commiſſuras & poros cerebri extra craneum penetrare uidetur. Craneũ, os magnum cerebrum ipſum ab extrinſecus penitus circundans, à medicis definitur: in cuius concauitate cerebrũ, unde nerui ac ſenſus oriunt̃, cõſtitutũ & collocatũ eſſe cõfitent̃ & dicũt. Hoc autẽ unũ & continuum ob multas ac diuerſas cau

Craneum.

ſas

ſas fieri non potuit: nam ſi unum & con-
tinuum fuiſſet, profectò nullatenus lædi
offendíue ualuiſſet, ut læſio & offenſio il
la in totum non redundaſſet: Ac per hoc
ea continuatio ſibi multum admodũ ob-
fuiſſet. Deinde ut uapores plerunque ad
caput aſcendentes, per uarias iuncturas,
diuerſas compages, extra craneũ expelle
rentur. Poſtremo ut medicamentorũ ui-
res ac uirtutes, quandocunq; incumbẽte
neceſſitate expediret, ad cerebri ſubſtan
tiam penetrarẽt. Poſt craneum duo pan- *Panniculorum cerebri uſus.*
niculi cooperientes ac uelantes, idcirco
demonſtrantur, ne eius mollities à duri-
tie & ſoliditate cranei ullatenus tangere-
tur: horum alter craneũ ipſum ſequitur,
qui dura mater propter ſoliditatẽ ac duri
tiem appellaĩ. Pia deinde mater accedit,
ſic ob mollitiem & humiditatẽ dicta, quę
mollis idcirco facta fuit, ne ſua mollitie ce
rebrum lædere ualeret, & uenas inſuper
quaſdam contineret, à quibus cerebrum
aleretur & nutriretur. Cuius quidem ce-
rebri tres, anteriorem ſcilicet & inter me
diam ac poſteriorem, principales partes

esse contẽdimus: in quibus profectò sen-
sus communis, ut uulgaribus physicorũ
& medicorum uerbis utamur, imagina-
tiua, extimatiua atque memoratiua facul
tas, quinq; illi sensus interiores, tribus ex
terioribus prętermissis, admirabiliter pro
fectò ac pené incredibiliter latêre & cõti-
neri cernuntur: quorum omnium quan-
ta & quàm mirabilis sit neruorum inter
se contexio, & uicissitudinaria quædam
colligatio, difficile dictu est. Accõmoda-
tissimi nanq;, ut ita dixerim, loculi quinq;
illas intrinsecas, per cũctas philosopho-
rum scholas iamdudum celebratas com
memoratasq;, uirtutes tanto ac tam mira
bili artificio complectuntur, ut hoc singu
lare ac particulare opificiũ, nisi ab omni-
potenti deo nullatenus fieri potuisse in-
telligatur: qui quidem si optionem natu-
ræ nostræ largiretur, ab eaq; requireret,
cõtentáne esset suis integris nobilitatisq;
membris, quæ ad formationem corporis
pertinerent, an quicq̃ melius postularet,
q̃d amplius quæreret? porrò nescire atq;
ignorare confitemur. De panniculis infe
rioribus,

rioribus, de rete atq; passillari osse, reliquis tribus, ne nimij simus, deinceps dicere omittamus. Quæ ergo compositio membrorum, quæ cõformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species q̃ humana pulchrior aut esse aut excogitari potest? Quod cum illi ueteres sapiẽtissimiq; homines animaduerterẽt, deos in humana se specie cõfiteri audebãt: quorũ uestigia pleriq; ex nostris imitati, in quibusdã apostolorum ac martyrum, cęterorumq; sanctorum basilicis, deũ instar hominis idcirco uoluerunt, ut ad diuinam cõtemplationem rudibus ignarisq; hominibus aliquatenus opitularentur: quapropter non defuerunt doctissimi ac sapiẽtissimi uiri qui cum prædicta omnia, & alia huiusmodi humani corporis machinamẽta diligenter & accurate contemplarentur, talem fabricationem instar mundi formam factam fuisse arbitrarentur: Vnde hominem à Græcis Microcosmũ, quasi paruum mundũ, appellatũ fuisse putauerũt. Nec defuerunt etiã q famosissimã illã & saluberrimã Noë arcã, in qua paruas

quaſdam humani generis, quod iam pe nè totũ primo & generali diluuio perie= rat, reliquias incolumes remanſiſſe noui mus, ex quibus reparati ſumus, ad hanc perfectiſſimam humani corporis fabricã conſtructã fuiſſe propterea exiſtimarẽt, quod propria ipſius ſui longitudo à uer= tice uſq; ad ueſtigia, ſexies tantum habet quantum latitudo, quæ eſt ab uno ad alte rum latus: & decies tantum quantum al= titudo, cuius altitudinis mẽſura in latere à dorſo ad uentrem reperitur: ſeu ſi iacen tem hominem ſupinum ſeu pronum me tiaris, ſexies tãtum longus eſt à capite ad pedes, quantum latus eſt à dextera in ſi= niſtram, uel à ſiniſtra in dexteram: & de= cies tantum quãtum altus à terra: Proin= de commemorata arca trecentorũ in lon gitudine cubitorũ, quinquaginta in lati= tudine, & triginta in altitudine, facta fuiſ= ſe ſcribitur. Vir enim ſuapte natura pru= dentiſſimus, & multarum quoq; rerum experiẽtia, in tanta ac tam diuturna quin gentorum annorum uita (nam hac eius ætate generale illud diluuiũ, uniuerſum

Cur arcã illam Noë ad hominis formã qui= dam factã putarint.

terrarũ

terrarum orbem inundasse legimus) ap=
prime edoctus, & diuino insuper quodã
spiritu afflatus, cum hoc mirabile ac per=
fectum hominis opificiũ ab omnipoten=
ti deo profluxisse & emanasse intellige=
ret, tale tanti autoris supremiq́ magistri
exemplum, sibi arcam fabricaturo, arcam
inquam illã humani generis seruatricẽ,
quod ipse maximus eorum temporum
propheta, suis flagitijs facinoribusq́ pe=
riturum diuinitus acceperat, non immeri
tò ad fabricandum imitandumq́ propo=
suit. Et quanquam multa de hoc corpore
nostro hactenus dixisse meminerimus,
unum tamẽ de humana facie, cæteris for=
tè mirabilius, in calce huius primi libri,
taciti præterire non possumus. De quo
cum beatus Augustinus satis superq́ ad
mirari non posset, quodam loco hæc uer
ba posuit: Quis enim, consulta ratione, *Humanæ*
non uiderit in hominũ innumerabili nu= *faciei dissi*
merositate, & tanta naturæ similitudine, *militudo.*
tam ualde mirabiliter se habere singulos,
singulas facies, ut, nisi inter se dissimiles
essent, nequaquam species eorum ab ani

malibus ceteris discernerẽt? Et rursus: nisi inter se dissimiles essent, nempe singuli à cæteris hominibus haudquaquam discernerẽtur. Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles inuenimus. Sed multo mirabilior est consideratio dissimilitudinis: quoniam similitudinem natura communis iustius exposcere uidetũ. Illud uero ceteris omnibus mirabilius iure existimatur & creditur: quippe singula quæque humani corporis membra tam subtili ratione ac tam diuinæ prouidentiæ solertia formata cernuntur, ut tantũdem ad usus necessitatem, quantum ad pulchritudinẽ ualere uideantur. Si quis igitur, ut hanc primam nostri corporis particulam tandem aliquando cõcludamus, cuncta hec & generalia & particularia humani corporis priuilegia, præcipuaque munera diligenter & accurate animaduerterit, profectò ipsum ab omnipotenti Deo idcirco egregie ac mirabiliter fabricatum nõ iniuria fuisse cẽsebit, ut dignum quoddam simulatque accõmodatum rationalis animæ receptaculũ formaretur. Vnde cum tales

tales tantasq́ꝫ corporis noſtri dignitates & excellentias eſſe uideamus, haudquaquam mirari debemus, ſi antiquorum iuſtorum funera, officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa: quemadmodum ex pluribus ueteris & noui teſtamenti exemplis luce clarius apparet. Licet hoc totum humationis genus idcirco à pleriſque philoſophis contemneretur, quoniam nulla defunctorum hominum corpora ullo unquam tempore reſurrectura arbitrabantur. Nam & Tobias ſepeliendo mortuos deum promeruiſſe, teſte angelo, cõmendatur. Et dominus noſter die tertia reſurrecturus, religioſę mulieris bonum opus prædicat, prædicandumq́ꝫ cõmendauit, quod unguẽtum precioſum ſuper membra eius effuderit, atqꝫ hoc ad eum ſepeliendum fecerit. In euãgelio etiã ij laudantur, qui corpus eius de cruce acceptũ diligenter atqꝫ honorifice tegendũ ſepeliendumq́ꝫ curarunt. Et, q̃d mirabilius uideri debet, omnes patriarchæ & pleriqꝫ prophetæ dũ uiuerẽt, ꝓprijs teſtamẽtis curã

Mortuorũ exequiæ et ſepultura.

ſepeliendorum & humandorũ cadauerum ſuorum, domeſticis & poſteris relinquebant. Quod ſi animorum noſtrorum uaſcula talia ac tam mirabilia eſſe uidemus, ut de deo eorum autore, iure dubitare ſuſpicariue nequeamus, q̃d de ipſo animo peculiari quodam ac præcipuo omniũ rerũ theſauro dicemus? An uſq; adeò hebetes & obtuſi erimus, ut de diuino humanarum animarum autore titubemus, cum de hominũ corporibus cæteris earum uaſculis ac receptaculis idipſum planè & aperte ſentiamus? Quod ſequenti libro, quantum parui ingenij noſtri facultas efficere conari ue poterit, quemadmodum ab initio promiſimus, paulò latius & uberius explicabimus.

LIBRI PRIMI FINIS.

IANOCII DE MANECTIS, EQVITIS AC IVrecõsulti Florentini, de dignitate & excellentia hominis Liber II.



ELLEM nobis nunc de anima humana breuiter cõscripturis, tantũ ingenij facultatis & eloquentiæ dari, si optata fierent, ut in hac tam obscura & tam abstrusa materia, de qua philosophi uaria & inter se diuersa ac pené contraria scripsisse cõperiuntur, nonnulla præcipua & singularia in medium afferre possemus. Sed quoniam tantam in rebus ipsis difficultatẽ inesse latêreq́ꝫ cõspicimus, ut Cicero Romanæ eloquẽtiæ princeps, cum de anima dissereret, ac quid foret in præclaro illo Tusculanarũ disputationum dialogo diligenter & accurate perscrutaretur, magnam quandã de eius origine, loco, & qualitate dissensionẽ fuisse describat. Et Lactãtius quoq́ꝫ uir doctissimus atq́ꝫ elegantissimus, cum de eisdem cõditionibus in cõmemorato de Opificio hominis opusculo inuestiga

Difficilis animæ cognitio.

ret, in hunc modũ ſcribens dixiſſe deprehenditur: Quid autem ſit anima nondũ inter philoſophos conuenit, nec fortaſſe unq̃ cõueniet. Idcirco omnibus, quemadmodum dicitur, animi & corporis uiribus, aliqua fortaſſe non indigna maieſtatis tuę lectione referre & explicare conabimur. Proinde ad perfectã & uerã eius definitionẽ, quo ad fieri poterat, anhelantes, ueterẽ Ariſtotelis morẽ in rebus ſerijs ac grauibus proſequi imitariq́ decreuimus: qui in omnibus ferè libris ſuis ea antea recitabat, quæ à prioribus philoſophis de illis rebus dicebant, de q̃bus ipſe diſſerere et diſputare cõtendebat, eorũq́ poſtea opiniões ſigillatim cõfutabat: atq́ hæc omnia ideo faciebat, ut quid ipſe ſentiret, quãdo cũ cæteris cõpararetur, facilius & clarius appareret. Nos igit̃ certa quędã & ſolita tanti uiri ueſtigia, in recitandis duntaxat opinionibus antiquorũ, breuiter imitabimur: nõ eñ ita arrogantes itaq́ impudentes, neq́ ſumus neq́ uideri uolumus, ut in tot & tantis occultarum rerum difficultatibus noſtram ſen-
tentiam

tentiã explicemus. Sed postquam ea ipsa recitarimus, recitataq́ꝫ leuiter confutaui mus, quæ philosophos suis puris natu= ralibus constitutos conscripsisse percipi mus, ad nostros theologos, quibus hæc & cætera huiusmodi naturæ mysteria di uinitus reuelata fuisse constabat, tanquã in unum humanę salutis portum magna iactati tempestate cõfugiemus. Cum au tem nonnullos doctissimos simulatque elegantissimos uiros, præcipue Cicero= nem & Lactantium, animum ab anima inter se differre uoluisse intelligamus, ut altero uiuere, altero uero sentire & sape= re significatur, quoniam satis superq́ꝫ sa= tis esse arbitramur, ut magnis tam ardua rum rerũ difficultatibus opprimamur, de nomine minime laborãdum fore cen semus. Vnde quanquam utroq́ꝫ, ut suis locis aptius & accommodatius fieri pos= se uidebitur, pro eodem uteremur, ani= mam tamen quàm animũ propterea cre brius frequentare maluimus, quoniam catholicos doctores nostros siue ex he= bræa siue ex græca sacras scripturas in

Latinam linguam conuertentes, ſiue ali-
ter quomodolibet explanãtes, eo uerbo
ſemper uſos fuiſſe comperimus, quorũ
nos uenerãda ac ſacroſancta ueſtigia tan
tummodo obſeruare & imitari conſtitui
mus: licet gentiles philoſophi plerunq;
animum, raro uero animam, poſuerint.
1 Thales Mileſius, ut ab antiquioribus or-
diamur, quem in numero illorum ſeptẽ
celebratorũ ſapientũ Romulo regnante
extitiſſe, ac primum in philoſophia cla-
ruiſſe manifeſtum eſt, quanquam de ani
ma particularem quandam mentionem
nequaquam feciſſe memoraretur, cum ta
men aquam omnium rerum principium
fuiſſe exiſtimaret, atq; exinde cũcta mun
di elementa, ipſumq; mundum, & quæ-
cunq; in eo gignerẽtur, oriri & naſci opi
naretur, animã ab aqua, ſicut cætera, ori
ginem trahere, eius opinio iure cẽſenda
2 eſt. Anaximander eius auditor, non ex
aqua, ut magiſter, ſed ex ſuis principijs
infinitis omnia produci & progredi aſſe
3 rebat. Cui Anaximenes ſuccedens, infi-
nitis illis præceptoris ſui principijs aërẽ
adhi-

adhibuiſſe perhibet̃. Anaxagoras eius 4
diſcipulus, præter generalem quandam
de initijs rerum ex ſimilibus inter ſe par=
ticulis opinionẽ, de anima diſſerẽs, rem
ſeipſam mouentem eſſe & dixit & ſen=
ſit. Diogenes alter Anaximenis auditor, 5.
eam, quemadmodũ cætera, ad aëra unũ
omniũ principiũ retuliſſe ſcribitur. Leu 6.7.
cippus & Democritus atomorũ, hoc eſt
leuium & indiuiduorum corpuſculorũ
autores & principes, ex quibus omnia
confici uolebant, animã nihilominus ca=
lorẽ & ignem quendã eſſe arbitrabãtur.
Heraclitus cognomento Scotinos, quo= 8
niam de natura rerũ ita obſcure ſcripſiſſe
uidebatur, ut illius temporis philoſophi
perplexas eius ſentẽtias uix ſudantes in=
telligere potuiſſent, eam ipſam uaporem
ſubtiliſſimum cẽſebat. Empedocles qui 9
de rebus naturalibus grecis carminibus
ſcripſiſſe laudatur, quemadmodũ apud
nos Lucretium latine feciſſe nouimus, ſi
Ciceroni credimus, animã eſſe dicit cor=
di ſuffuſum ſanguinẽ. Si uero potius Ari 10
ſtoteli adhæremus, ex elementis eam fa=

11 cit. Hippias ſophiſta aquam: Critias autẽ
12 13 illã ſanguinẽ definiuit. Archelaus Ana-
xagoræ auditor ſiue ex ſimilibus ſiue ex
diſſimilib⁹ inter ſe particulis omnia quę-
cunq; eſſent, & mentem & animum con
14 ſtare arbitratus. Zenoni Stoico animus
15 ignis uidetur. Quem Ariſtoxenus muſi
cus idemq; philoſophus harmoniã ut in
16. 17 cantu & fidibus: Pythagoras uero ac Xe
nocrates Platonis auditor, numerum ſe
18 ipſum mouentem putauerunt. Socrates
Archelai diſcipulus, omiſſis naturalium
rerum difficultatibus, quoniam eas aca-
demicorũ more nullatenus ſciri cogno-
ſciue poſſe autumabat, ac propterea de
anima quid eſſet nil perſcrutatus, ſeſe ad
moralis philoſophiæ ſtudia conuerterat:
eam tamẽ immortalem & perpetuã eſſe
deſcribit: Quemadmodũ & Alcmæon
neſcio quis, & Pherecides Syrus antea
19 tradiderant. Hunc Socratem Plato cele-
berrimus eius diſcipulus poſtea ſecutus,
quamuis omnium philoſophorum diſer
tiſſimus haberetur, de anima tamen ob-
ſcura quædam, ac metaphoris tropiſq;
referta,

referta, pluribus librorum suorum locis ita locutus est, ut uix intelligi potuerit: ac pleraque in eum librum congessit, cuius titulus est, de immortalitate animorum, ex quibus eam potius suis quibusdam persuasionibus immortalem fore, q̃ꝫ quid proprijs descriptionibus esset, haurire et augurari ualeamus. Quod Cicero eo loco maxime sensisse uidetur ubi uerba hęc posuit: Quid tibi ergo opera nostra opus est? Num eloquentia Platonem superare possumus? euolue diligenter eius eum librum qui est de animo, amplius quod desideres nihil erit. & paulò post ita subdit: Feci mehercule & quidem sæpius, sed nescio quomodo euenit, dum lego assentior, cum posui librum, & mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio illa omnis elabitur. Ex pluribus tamē eius dictis deprehēdi & elici potest, eum idem sensisse, quod Pythagoram & Xenocratem: uel de substātia, quemadmodum ab Alberto philosopho traditur, uel de numero seipsum mouente, paulò superius

intellexiſſe diximus. Nec defuerũt etiam
qui eam ipſam cor eſſe opinarentur: ex
quo plerique homines excordes, uecor-
des, cõcordesq́ dicebantur. Ariſtoteles
inſuper cũ hæc omnia quæ ab antiquio-
ribus de anima ferebantur friuola & pe-
nè inania eſſe animaduerteret, quoniam
cunctæ ferè eorum opiniones ad res cor
poreas referri uidebãtur, præter elemen
ta, quibus hæc corpora cõſtare nõ dubi-
tabat, prætermiſſis duabus alijs eius defi
nitionibus, quintã naturã eſſe uoluit, un
de humana anima conficeretur: quã græ
co & tunc nouo, ſed nunc iamdudũ per
omnes philoſophorũ ſcholas celebrato
nomine ἐνδελέχειαν appellauit: non quaſi
continuatam, ut ait Cicero, motionem
& perennem, ſed potius ſpiritalem quan
dam humani corporis perfectionẽ: licet
ipſe pluribus uerbis uteretur, quemad-
modũ Auicenna & Auerrois exponere
& explanare uidẽtur. Varro deniq; etſi
20 diuinarũ & humanarũ rerum perfectiſſi
mus putaret, quid tamẽ eſſet anima defi
nire uolens, eam aërem quendã ore con
ceptum

ceptum, in pulmone deferuefactum, in corpore temperatũ, & in totum corpus diffuſum eſſe determinauit. Seneca uero ſubſtantiã incorporeã rationis participẽ credebat. Contra quos omnes (Ariſtotele, cũ ob dignã tanti philoſophi uenerationẽ, tum ob ſubtilẽ quandã ac ueracẽ eius, licet non perfectã & ex omni parte abſolutam, determinationẽ, ſemper excepto) dicendum breuiter exiſtimamus. Nam queẽadmodũ nos de deo, rebusꝗ cœleſtibus ac diuinis animaduertentes, magis quid nõ ſit, ꝙ quid ſit unũquodꝗ dicere et excogitare poſſumus: ita de anima humana cõſiderantes, eadem propemodũ credere & exiſtimare debemus: præſertim cũ in omnibus obſcuris rebus multo facilius falſa cõuinci, ꝙ uera inueniri poſſe uideamus. Ad leuẽ uero illam prædictarũ opinionũ cõfutationem, quã nos facturos eſſe prædiximus, ea plurimum conferre ac ſatisfacere putauimus, quæ Ciceronẽ partim in Tuſculanis diſputationibus cõſcripſiſſe, partim etiam in cõſolatione ſua poſuiſſe meminimus:

cuius uerba quoniam nobis summopere placuerunt,& ad nostrũ propositũ appri me ualere uidebãtur, in hoc loco ponere & hic scribere curauimus. sic eñ ait: Ani marũ in terris nulla origo est, nam nihil est in animis mixtum ac concretum, aut quod ex terra natum ac fictum esse uidea tur: nihil humidũ quidem aut flabile, aut igneum; His enim in naturis nihil inest quod uim memorię, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futu ra pręuideat, & cõplecti possit pręsentia, quæ sola diuina sunt: nec inuenimus un= de ad hominẽ uenire possint, nisi à Deo. & reliqua. Aristoteles quippe uir sapien tissimus, intelligentiã, uolũtatem, memo riam, naturalia quædã & cõmunia huma narum animarum munera, nisi medianti bus illis quorum propria dona esse uide= antur, nullatenus prouenire posse exco gitauit. Itaque omnia elementa, licet sola terra ab anima iuxta ueterũ philosopho= rum traditiones, eo ipso recitante, separa retur: & non modo elementa, sed cuncta quęq; corporea, à spiritali eius natura me

ritò

ditò diſtinxiſſe & ſegregaſſe laudat. Hãc egregiam ſupradictorum penè omnium opinionũ cõfutationẽ Cicero ab Ariſtotele magiſtro (ſic enim eum quodam loco appellare non dubitauit) ex ſecundo de Anima ſumpſiſſe & accepiſſe creditur : In quo quidem libro cum ille ueræ philoſophiæ princeps, animæ eſſentiam, ſic enim interpretari placuit quod Græci *οὐσίαν* dicunt, quamuis eo uerbo Latini ueteres minime uterentur, paulò accuratius perſcrutaretur, quàm cæteros philoſophos antea feciſſe conſtaret, eam corpoream eſſe nõ poſſe planè & aperte uidit & ſenſit. Itaque cuncta corpora ſua cogitatione tranſcendens, atque optimum quiddam perfectumq; non iniuria oportere eſſe exiſtimãs, ipſam in genere ſubſtantiæ ponere & collocare conſtituit : nec materiã quam philoſophi ſubſtantiæ appellatione cenſebant, ſed formam, & non cuiuſlibet corporis, ſed talis utique quale humanum corpus dicimus formam eſſe, declarauit & uoluit: Quo facto, cum de eius potentijs poſtea diſſere

ret, atq; intellectiuam tanquã perpetuã à reliquis corruptibilibus separaret, prio ribus definitionũ particulis ita adhibuis se & adiecisse uidetur, ut animam humani corporis rationalem atq; immortalem & incorruptibilem formã, planè & aperte definiret. Si autẽ circunscriptos naturalis philosophi, qualem seipsum esse profitebatur, limites transgredi & transcendere uoluisset, (uide quid homini tribuam) ab omnipotẽti Deo ex nihilo mirabiliter, ut arbitror, creatã fuisse adiecisset. Quod si fecisset, nimirum cũctis naturæ legibus & omnibus quoque naturalium philosophorũ decretis ac dogmatibus repugnasset, qbus ex nihilo aliquid fieri posse negabatur: Ac propterea animam humani corporis immortalẽ & incorruptibilem formam, rationis & intelligentiæ capacẽ, ex nihilo à Deo creatam uerissime ac perfectissime dixisset: huiusmodi enim uera uel definitio uel potius descriptio, ex sacris catholicorum doctorũ sententijs elici posse existimat̃ & creditur. Quãquam talia suapte natura abstrusa & obscura in tenebris

tenebris latêre uident, quô humanę men
tis acies inualida penetrare nõ poteſt: ni-
ſi iam ſuperno lumine illuſtraret, quem
admodum optimis illis ac ſanctiſſimis ui
ris contigiſſe nouimus, quorũ ſententias
impræſentiarũ haurire & explicare con-
tendimus: nam ex uno homine, quẽ pri-
mum à deo ſecundũ ſacras ſcripturas cõ-
ditum fuiſſe legimus, & ideo græce ex-
preſſius protoplaſtus appellatur, contra
falſas philoſophorum de æternitate mũ-
di ſententias, genus humanum in hunc
mũdum ſumpſit exordiũ. Moyſes enim omni ſapientia Aegyptiorum eruditus, ac primus & maximus eorum propheta rum qui prophetias ſuas literis manda- bant, cum ſeſe à ſenſibus abſtrahere cupe ret, in uaſtas Aethiopiæ ſolitudines pera grare non dubitauit, ubi cunctis ſeculari bus negocijs prætermiſſis ac neglectis, ad altiſſimarum duntaxat & diuinarum rerum meditationem animum mẽtemq́ conuertit: in quo quidem ita omnipotẽti deo placuiſſe creditur, ut eum non per ænigmata aut per ſomnia obſcuraſq́ ui-

Moyſes in ſeceſſum ſe contulit.

ſiones inſtar cæterorũ prophetarũ,ſed facie ad faciẽ uidere & intueri, ac plura & ſtupẽda miracula facere meruerit,quẽad modum ſacræ literæ planè & aperte aſſerere teſtificariq́ʒ uidentˉ. Talis igitˉ Moyſes per hunc modum diuino ſpiritu afflatus,nec humanæ ſapientiæ,nec ſecularis philoſophiæ ꝓfeſſor,ſed potius idoneus quidam diuinorũ operum teſtis & aſſertor, pentateuchum ſuum ſic incipere auſus eſt:In principio creauit deus cœlũ & & terram.& reliqua uſq́ʒ ad integram & abſolutam cunctorum brutorum productionem deinceps proſecutus, tandem inquit: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtrã.Quæ quidem uerba ſecundũ certam quandam & unicam omniũ theologorũ explanationem,non ad corpus, ſed ad animam tantummodo referuntur.Nam quid eſt deus qui ita dixit?Caro,an ſpiritus? non caro utiq́ʒ,ſed ſpiritus, cui ſimilis caro eſſe non poteſt: quia ipſe incorporeus et inuiſibilis eſt:caro autem & compreheditur & uidetur. De qua quidem re etſi multa, imò penè

infinita

infinita esse uideant quæ de ea subtiliter quæri & inuestigari soleant, animam tamen non à parentibus & extra duce, ut theologico uerbo utamur, instar corporum processisse, quemadmodũ quidam hæretici, & in primis Apollonius nescio quis, falsò opinabantur, sed à Deo ex nihilo factam in lucem prodijsse, ita existimamus & credimus, ut de eo ipso ullatenus dubitare & ambigere nequeamus. Cui quidem sentẽtiæ, uero enim omnia consonant, cuncti ferè sacrarũ literarum explanatores, catholiciq́ doctores adhærere & assentiri perhibentur. Vnde eius quasi materiem, quam nullam fuisse manifestum est, nequaquam quærere & inuestigare debemus: nõ enim tale quiddam esse scimus, sicut terrã humani corporis materiam extitisse diximus, è cuius limo uel humefacto puluere fingeretur. Ex quo Iudæorum & Arrianorum stultam opinionem falsam esse conuincitur, qui uerba illa, Faciamus ad nostram, & cætera, dei ad angelos fuisse putant. Enimuero siue imaginẽ ad formã, siue

Insignis Iudæorum et Arrianorũ error.

ſimilitudinem ad naturã referant, ut ſunt uariæ de hac re theologorum ſententiæ, cęteris prædictorum uerborum explanationibus prætermiſſis, quę pene innumerabiles afferunt, parum attendiſſe ac conſideraſſe uidẽtur, quomodo iure fieri potuerit, ut creationis operatio, quæ ad ſolum creatorem pertineret, qui uſqueadeò omnipotens eſt, ut ex nihilo cuncta facere ac creare ualuerit, angelis tribueretur communicareturque, quos creaturas eſſe conſtabat, Quod ſi fuiſſet: utique creaturæ ſimulatque creatores plane & aperte apparuiſſent. Si uero quàm illud abſurdum et quàm impoſſibile eſſet, aliquatenus excogitaſſent, profectò nunquam in tãtum ac tam euidẽtem errorem incidiſſent. Neque etiam eandem imaginem ac ſimilitudinẽ dei & angelorũ eſſe nõ potuiſſe animaduerterunt. At ſi creationis operatio cum angelis cõmunis extitiſſet, nunquid imago & ſimilitudo deo & angelis communis eſſe potuiſſet? tantum enim abeſt ut angeli in poteſtate ac maieſtate Deo pares eſſe uideãtur, ut ipſos ab eius natura

maxime

maxime ac longiſſime abeſſe ſentiamus. At uero propheta ille ſupremus non temere ſed potius mirabiliter ſentiens, ac ſupra humanum modum ſeſe inter contemplandum attollens, ut quandam diuinarum perſonarum diſtinctionem latentem & occultam paucis uerbis, quo ad fieri poterat, planius & apertius explicaret, in creatione animæ pluraliter loqui & enunciare nō dubitauit. Quod & antea fecerat, quando in principio creauit deus Eloin, hebraice dixerat, non temere & fortuitò plurali numero uſus, cū in cæteris cunctarū rerum & animalium productiōibus ſemper Deum ſingulariter dixiſſe meminiſſet. Quod ad præcipuam quandam & egregiam animarum excellentiā uel maxime pertinere & ſpectare cognoſcitur, ut omnes diuinæ perſonæ ad ſolam earū creationem expreſſę fuiſſe uideantur. Nec his adhuc contentus: Poſtquam deus creauit homines, benedixit (inquit) illis, eoſq́; omniū rerum productarum dominos, uniuerſiq́; terrarum orbis reges imperatoreſq́; cōſtituit.

Et, ut maiorẽ ipſarum animarũ præſtan-
tiam dignitatemq́ mõſtraret, tandem in
hũc modũ ſecure intrepideq́ adiecit: For
mauit dominus deus hominẽ de limo ter
ræ, & inſpirauit in faciẽ eius ſpiraculũ ui-
tæ. & reliqua. Dominus, inqt, deus, hoc
eſt, illud ineffabile nomẽ, quod gręce te-
tragrãmaton appellat̃, ac propria ipſius
eſſentia ſignificat̃, (ſic enim hoc loco q̃
ſubſtantiã dicere maluimus) & uſq; adeo
ab Hebręis obſeruatur & colitur, ut quẽ
admodũ ſacris characteribus uenerandis
eorũ codicibus expreſſum & ſcriptũ ſit,
niſi ſummis dũtaxat ſacerdotibus quotan
nis ſemel, & in ſancto ſanctorũ pronun-
ciari explicariq́ non liceat. Quod atten-
dentes Manichei peruerſi & acuti hære-
tici, uerba illa ita interpretabantur, ut ani
mas de ſubſtantia dei factas eſſe adfirma-
rent. In qua quidem opinione Euripides
poëta unà cũ quibuſdã philoſophis fuiſſe
traditur. Verum enimuero quid nos de
theologis noſtris dicemus? quãdoquidẽ
ſecundũ poëtas & philoſophos humanas
animas è cœlis in terras deſcẽdiſſe intelli
gimus:

gimus: q̃d Vergil. his uersibus ostendit:

Igneus est ollis uigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus moribundaq; membra.

Idipsum à Lucretio poëta prędictũ fuisse constat ita canente:

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi,
Omnibus idem ille pater est.

Et Hermes quoq; ille, ob excellentiã suã cognomẽto Trismegistus, q̃d gręce Mercuriũ ter maximũ significat, hominẽ & à deo & ad dei similitudinem factũ esse nõ ignorauit, quãdo humanã formã theoiden, hoc est deo similẽ, appellare et nũcupare nõ formidauit. Hũc Platonẽ postea secutũ eodẽ græco uerbo usum fuisse legimus. Cicero etiã plurib. locis, hominibus nihil mẽte melius, nihil pręstãtius, nihil deniq; diuinius ab omnipotẽti deo dari potuisse testat̃. Sed ut alia multa omittamus quæ à plerisq; catholicæ ecclesiæ doctoribus circa huiusmodi geneseos autoritatẽ adducunt̃, his beati Augustini uerbis, ad uerã quandã & breuẽ cõmemoratarũ diuinarũ sententiarũ explanationẽ,

Hermes Trismegistus. Mercurius ter Maximus.

contenti erimus: qui quidem cum per totum ſeptimum et octauum librum ſuper Geneſim ad literam de animarum dignitate plura copioſiſſime quæſiuiſſet atque elegantiſſime diſputaſſet, longis tandem diſputatiõibus defeſſus, in calce eius codicis, de anima, quam deus homini in faciem eius ſufflans inſpiraſſe dicitur, nihil ſe niſi hoc ſolũ cõfirmare teſtaẽ, quod ſic ex deo erat, ut ſubſtãtia dei nõ eſſet: et ſic incorporea, ut non eſſet corpus, ſed ſpiritus, nõ de ſubſtantia dei genitus, nec de ſubſtãtia dei procedẽs, ſed factus à deo: nec ita factus ut in eius naturã natura ulla corporis uel rationalis animæ uerteretur. Vnde ex his ac cæteris huiuſmodi ex nihilo factam ac creatam eſſe concluditur. Fecit igitur deus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuam: talem quippe illi animã creauit, qua ratione & immortalitate, intelligentia ac memoria & uoluntate, prędita cæteris omnibus animalibus præſtaret ac dominareẽ. Hanc noſtram, imò potius catholicã, & (ut ita dixerim) theologicam ipſius animæ definitionem

tionem ueram & perfectam idcirco esse contendimus, quoniã ipsam, cum ex antedictis Mosaicorum uerborũ definitionibus, tum etiam ex pluribus alijs sanctorum uirorũ, & maxime Ambrosij & Gregorij, Damasceni ac Remigij, descriptionibus hinc inde cõflantes, breuiter compilauimus. Cum itaq; eam substãtiam & formam incorpoream & à Deo ex nihilo creatam, ex his quæ diximus antea probarimus, reliquũ est, ut nõnulla de ipsius immortalitate in medium adducamus: quo facto, de tribus suis naturalibus potentijs superius commemoratis, pauca quædam breuissime referemus. Ad certam igitur quandam & indubitatam animarum immortalitatem grauiter secundum dignitatem rei procedere & progredi cupientes, primo hoc ipsum nonnullis rationibus & argumentis ac persuasionibus ostendemus: Quibusdã deinde poëtarũ ac philosophorũ autoritatibus confirmabimus: Adamantinis deniq; sacrarum scripturarũ testimonijs comprobabimus. Rationibus igitur niti & insistere

Animorũ immortalitatis argumenta.

uolentes, pauca è multis in hunc modũ, tanquam aliјs probabiliora, delegimus: Cæteræ animantes tribus duntaxat elementis, quaſi pōderoſis ac terreſtribus, utuntur: Solus uero homo ignem, utpote leue & ſublime ac cœleſte elementum, ſine quo uiuere nō poſſet, in quotidianum uitæ ſuæ uſum adſumit: quod ideo non exiguum, ut ait quidam, immortalitatis argumentum uideri debet, quoniam Deum, qui ſingula quæq; bruta ignis utilitate priuauit, hominibus uero tantummodo largitus eſt, nihil temere ac fruſtra facere operari ue intelligimus: præſertim cum ad generales quaſdam aliquorũ, nedum ad cũctas omniũ animalium ſpecies intendere ac proſpicere uideatur. Sed cum cætera animalia mortalia efficeret, p huiuſmodi elementorum diſcretionem, quæ ad uiuentium uſum utilitatemq; creauerat, ea ut reuera inter ſe diſcreuerat, ita per hunc diuerſarum naturarum modum ab inuicem diſcreta, ab illis intelligi uoluit, qui ſubtili ingenio prediti paulò altius à terrenis co

gitationibus

gitationibus eleuarent. Si omnes etiam uiuẽtes homines longe post mortẽ prospicere, ac futuris seculis magnis cum laboribus, nec minoribus sumptibus, naturali quodã desiderio allecti & instigati, quantũ possunt semper prodesse conantur, partim crebris procerarum arborum consitionibus, partim diuturnis magnorum ædificiorum constructionibus, partim continuis filiorum procreationibus, partim denique, ne cuncta in hoc loco complectamur, perpetuis liberalium artium & ingenuarum sentẽtiarum conscriptionibus, ut sunt uaria diuersorum hominũ ingenia, quæ omnia Cicero in Tusculanis suis multo latius et uberius prosecutus est, quemadmodum luce clarius constare & apparere dignoscimus, profectò eorũ animã immortalẽ fore iure dubitare & ambigere nõ possumus, præsertim cũ huiusmodi desideriũ cunctis hominibus uel potius toti humano generi ab ipsa natura, rerũ omniũ parente, inditũ fuisse uideamus: Quoniam aliter sequeretur ut innatę eorũ animaliũ

quæ deus præ cęteris nobilitata cōdidiſſet, cupiditates appetitionesq́ꝫ euaneſcerent. Eoſdem quoqꝫ homines, natura duce, felicitatem appetere uidemus, quam nullatenus niſi per animæ duntaxat immortalitatem adipiſci & aſſequi poſſent: nam ſi omnino extinguerēt, quonā modo felices eſſe uiderentur, intelligere excogitareq́ꝫ nequimus: præſertim cum in hac uita mortali, ob ſingularem quandā eius uarietatem, nullatenus beati eſſe ualeamus. Itaque ſimiliter uana & ſtulta naturæ cupiditas & appetitio reſultaret.
Omnes inſuper naturali & innata uoluntate immortales fore exoptamus & cupimus: ſed huiuſmodi noſtra uoluntas, quā philoſophi appetitum cum ratione definierunt, omnino falli decipiue non poteſt. Quod ſi eueniret, in idem utiqꝫ inanis cupiditatis naturalis abſurdū laberemur. Quę quidem quoniam impoſſibilia ſunt, ac naturæ ipſi planè & aperte repugnare cernuntur, profectò animas unà cum corporibus interire, falſum eſſe conuincitur. Quod ſi fieri potuiſſet, ut animę
ſimul

ſimul cum corporibus interirent: porrò deum iniuſtum fuiſſe manifeſte concluderetur: Nam magna quędã perditis hominibus ſuorum malorum facinorũ pręmia, uel diuitias uel honores ac potentatus & regna, indigniſſime ſimul atq; iniquiſſime largiret: Viris uero probis atq; optimis, qui cuncta hæc quæ nos bona appellare ſolemus, friuola & inania contempſerũt, atq; inediam, parſimoniã, uerbera, eculeos, & ſingula quæq; corporũ tormenta ſponte ſua ſuſceperunt, ut cœleſtem illam ac beatã & immarceſſibilem uitã nanciſcerentur, non modo dignam laborum ſuorum mercedem non præberet, ſed pro operibus iuſtis glorioſeq; geſtis, cũctas huius humanæ uitæ miſerias, cruciatus, neces tribueret: quo quid abſurdius dici excogitariue poſſit, nequaq; intelligere ualemus. Vnde Dicæarchus & Democritus, Epicurus ac Panætius, & quicunq; alij animas unà cum corporibus interire putauerunt, proculdubio aberraſſe deprehenduntur. Quod quidẽ tam poëtarum quàm philoſophorum &

ſanctorum uirorum autoritatibus deinceps clarius apparebit. Atq; ut à poëmatibus fabularumq; figmentis, tanquam à leuiuſculis teſtimonijs breuiter recedamus, omnes poëtas Græcos pariter & Latinos, inferos & infernū pro malorum punitiōibus, Eliſeos uero campos & beatorum inſulas pro bonorū hominū præmijs, poſuiſſe manifeſtū eſt: Quod Vergilius his uerſibus expreſſit:

Hic locus eſt, partes ubi ſe uia findit in ambas,
Dextera, quæ Ditis magni ſub mœnia tendit,
Hâc iter Elyſium nobis, at leua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Idipſum & carmina Sibyllina tūc uel maxime cōfirmare uidentur, cum ultimum de uiuis ac mortuis dei iudiciū uaticinantur. Ad philoſophos ſeueriores ueritatis magiſtros & ꝓfeſſores accedamus: quorum prim⁹, ut ait Cicero, Pherecides Syrus animos hominū ſempiternos eſſe dixit: cuius opinionē Pythagoras eius diſcipulus non modo comprobauit, ſed cauſam etiam cur ita eſſet adiūxit. Qui enim ante Pherecidem extiterant philoſophi,
quoniā

quoniam intelligere non poterant quonam modo anima sine corpore uiuere ualeret, utrunq; simul interire putauerunt. Itaq; simplici prædicti præceptoris sui de æternitate animorum sententiæ, perpetuam quandam in uaria & diuersa corpora reuolutionẽ adinuenisse dicitur, qua mediante, perpetuò seruarentur. Sed hic & cæteri superiores uiderint, qualem incorpoream formam in ipso corpore intelligant. Ciceroni enim nostro naturam animi intuenti, non immeritò multo difficilior cogitatio multoq; obscurior occurrebat, qualis animus esset in corpore, tanquam alienæ domui, quàm qualis remaneret, postquã exierit, & in liberum cœlum, tanquam in domũ suam, emigrauerit. Alcmæon, secundum Aristotelis sententiam, idoneus immortalitatis animorum assertor accedit, sic enim ipsum quodam loco existimasse refert. Plato quanquã ut Pythagoreos cognosceret in eam Italiæ partem uenisse memoretur, quæ quondam magna Græcia dicebatur, ubi Pythagoras primo, & qui eũ sequebant̃

postea, celebres ſcholarum ſuarũ ſedes cõſtituerant, nõ ſolum de æternitate ani morum idem ſenſiſſe quod Pythagorã, ſed plures etiam rationes cur ita ſit attuliſſe exiſtimatur: Ipſum tamen à Socrate eius magiſtro, idcirco illud accepiſſe credimus, quoniã Socratẽ in extremo mortis articulo conſtitutum, de eorũ immortalitate diuinitus diſſeruiſſe ac diſputaſſe comperimus. Atq; ab eodem præceptore Xenophontem quoque cognomẽto Socraticum, Platonis condiſcipulum, illam ipſam opinionem exhauſiſſe putamus: quando Cyrum maiorem clariſſimum Perſarum regem celebrato illo Pædiæ ſuæ uolumine, quod nos de infantia Cyri, latine interpretari ſolemus, de ęternitate animorũ diſſerentem inducit. Ariſtoteles magiſter omnium idem planè et aperte aſſerere & confirmare non dubitauit: quem Porphyrius in eandem ſententiam ſecutus eſt. Sed & quoſdam antiquiores & celeberrimos uiros hoc idem ſenſiſſe conſtat: nam & commemoratus Hermes ex duabus diuerſis naturis ho-

minem

minem conflatum arbitrabatur, quarum alteram mortalem, alteram uero immortalem esse existimabat. At Polites quidã Apollinẽ Milesiũ cõsuluisse dicitur, utrũ post mortẽ anima uel dissolueret uel remaneret: atq; eam post separationẽ à corpore perpetuo remanere atq; in æternũ uiuere, ex oraculi responsis intellexit. Cicero deniq; & Seneca pluribus librorum suorum locis permulta argumenta, perq; uarias persuasiones huiusmodi, animorũ immortalitatẽ probare & attestari conantur. Cæterũ si his omnibus sapientibus uiris magnisq; philosophis credimus, qui hãc animorũ æternitatẽ uerbis duntaxat & scriptis suis confirmauerũt: quid de illis sentimus, q̃ ea de causa mortem sibiipsis cõsciuerunt, ut uinculis corporis soluti liberius uiuere ualerẽt? quales Cleanthẽ, Chrisippũ, Zenonẽ, Empedoclẽ qui se in ardẽtis Aetnę specũ intempesta nocte deiecisse scribit: Quales insuper Catonẽ Romanũ, & Theombrotum Ambrachiotã fuisse legimus: quos lecto Platõis libro qui est de æternitate animo

rum, ſeipſos interemiſſe comperimus. Nónne tales & tãtos uiros animorũ æternitatem recepiſſe exiſtimabimus? quandoquidem eos uoluntariã mortem ſponte ſua accepiſſe non dubitamus. Cũ itaq; nõnullis rationibus, pluribusq́; poëtarũ ac philoſophorũ allegationibus, de animorũ immortalitate aliqua memoratu digna breuiter recitarimus, reliquũ eſt ut ad ſanctorum autoritates & ad diuina oracula parũper accedamus. Et quanq̃ cũcta quæ in utroq; ueteri ſcilicet ac nouo teſtamẽto ſcripta ſunt, hanc animorũ immortalitatẽ præſupponere uideãtur, pauca tamẽ ex multis clariora et expreſſiora, breuitatis ſimulatq; illuſtrãdæ ueritatis cauſa, breuiter referemus. Et ut à uetuſtioribus ordiamur: Moyſes in cõmemorata Geneſeos autoritate animam immortalẽ fore planè & aperte declarauit: per hoc enim ſolum propior ac Deo ſimilior, q̃ per quæcunq; alia, facile uideri & apparere poteſt: nam cognitione, ſapientia, & poteſtate, ac cęteris omnibus, longe diſſimilis eſt: cũ ſola immortalitate

Quo nomine anima maxĩe deo ſimilis.

Deo

Deo consimilis appareat. Atq; in eodem libro id ipsum manifestius expressisse ui detur, quãdo Enoch illũ ab Adam proto plasto septimum, sexagesimoquinto ætatis anno non obijsse, sed cum Deo ambulasse & in cœlũ ascẽdisse testatur. Quod & Heliæ in libris Regum contigisse legimus, ut curru igneo uiuus ab ignitis equis in cœlum ueheretur: quo in cœlo, Heliseum prophetam memorati Heliæ discipulum, puerulum quendam uiduæ Sunamitis filiũ, paulò ante defunctũ è tenebris in lucem reuocasse nouimus. In sacro quoque & admirabili illo patientissimi uiri dialago, quem librum à prædicto Moyse, Hebræi compositum fuisse opinantur, cum de certa quadam & expressa defunctorũ hominũ resurrectione determinetur, profectò animam immortalem esse nõ dubitatur. Dauid etiam pluribus psalmorũ suorũ locis his & huiusmodi uerbis usus: Qui sperant in te domine, in æternũ exultabũt: manifestã animorũ perpetuitatem ostẽdere & demonstrare dignoscitur. Esaias quãdo de Deo

Historia de Iob Moses autor.

loquitur: Præcipitabit, inquit, mortem in sempiternum, & mortui tui uiuent: quid aliud ꝙ animorum æternitatem per hæc huiusmodi uerba sensisse uidetur? Si enim interirent, quomodo in sempiternũ mors præcipitaretur? & quonam modo mortuos corpore aliter ꝙ per animarum perpetuitatem uiuere posse putandum est? Cum deinde apud Hieremiam, infernũ & inferos crebrò scriptum fuisse cognouimus, non de cadaueribus quæ in hoc seculo ante oculos nostros quotidie humari & sepeliri uidemus, sed de animabus iure intelligimus. Et rursus quando Ezechielem, uiuentium terram, sæpenumero repetentem, & iustum uita uicturum & nõ moriturum, dicentem audiuimus, quid aliud nisi humanas animas nõ morituras meritò interpretamur? Daniel, à Dario Medorũ rege omnibus regni sui prouincijs, ob admirabilem illam ac diuinam diuersorum somniorum interpretationẽ, digne præfectus, nunquam in lacum leonum crudelibus feris laniandum se mitti passus esset, sed potius sæuo

& impio illius gentis satrapum edicto pa ruisset, nisi animam immortalem esse credidisset. Quid uero hæc celebrata Oseæ prophetæ uerba, in forma dei ita dicẽtis: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua ô mors, ero mors tua inferne. & reliqua, nisi animarum æternitatem sonãt ac planè aperteq; significant? Conuertimini ad me, per Ioëlem dicit dominus, in ieiunijs & fletibus & planctibus, & reliquis huiusmodi humanorũ corporum cruciatibus. Cur inquit conuertimini? ut scilicet per aspera illa tormentorum genera, ad quæ nos exhortatur & inuitat, celerius anima sui corporis compage separata omnino pereat? quinimo potius ut in ęternũ uiuat. Amos dominũ super altare stantẽ & sic loquentem se uidisse dicit: Fugientes non saluabuntur: nam si descẽderint in infernum, exinde manus mea educet: & si ascenderint usq; ad cœlũ, inde pariter eos extraham. & cętera huiusmodi. Ex quibus quidem uerbis animas defunctorũ nequaq; cum corporibus interire declarat, quo-

niam ex omnibus locis extrahendas esse testat̃. Hic nõ uerbis solũ, sed rebus quoque et corporali morte, tanq̃ uerus omnipotentis dei athleta, idipsum approbare tradit̃: Nam primũ ab Amasia sacerdote multis plagis afflictus, ab Ozia deinde eius filio, Iudæorum rege uecte quadam per tẽpora transfixus, innocẽs perire, q̃ꝫ diuinæ legis transgressor uiuere maluit. Quemadmodũ Esaiam sæuis impij regis Manasses temporibus antea fecisse legimus, quando serra ęquanimiter secari se passus est. Quod nullo unq̃ꝫ tẽpore adducti essent ut facerẽt, si animã ullatenus mortalẽ credidissent, pręsertim cũ utrãqꝫ uiolentã & crudelẽ mortẽ faciliter fugere & uitare possent. Abdiam insuper & Ionam, Micheã, Naum, Abacũ, Sophoniam, Aggeũ, Zachariã, Malachiam, ut uno uerborũ cõtextu breuitatis causa reliquos ferè omnes prophetas complectamur, certã quãdam & indubitatã humanarum animarũ immortalitatẽ codicibus suis declarasse & cõscripsisse scimus: partim nãqꝫ beatos homines, partim ad Deũ

conuersos,

conuersos, partim prophetas per multa secula antea mortuos, iustosq́ue & sanctos uiros pariter defunctos in ęternum uiuere: partim denique dominum Heliam, antequam ueniat dies magnus & horribilis, missurum, plane & aperte testantur. Quæ quidē omnia, si anima interiret nullatenus fieri poterāt. Quid autem de Machabęis fratribus dicemus? quoniā inclita & gloriosa gesta & dura & aspera sub Antiocho Armeniorū rege inflicta pro sacris legibus tormēta, aliā nempe quam istā qua uiuimus uitā fore declarant. Cæterū multis & alijs & huiusmodi ueteris instrumēti, quæ pene infinita sunt, prætermissis, deinceps ad testamētum nouum summatim ac breuissime accedamus. Mattheus, Marcus, Lucas, Ioānes, in omnib. euāgelijs suis nihil aliud legētibus & audientibus, & toti ferme humano generi, quam æternitatē animarū significare & manifestare cōtendunt. Nam & regna cœlorum, & plures beatitudinum species, & inferorū pœnę, & iniuriarū patiētia, et crebra ieiunia, & mutuæ inimicorū dile-

ctiones, & asperæ propriorũ corporum castigationes,& plures defunctorum hominum suscitationes, & nouissime mortuorum omniũ, quibus euangelia refertissima sunt, nequaquam animas interire, sed in æternũ potius uiuere, planè & aperte significant. Actus apostolorũ,atque Pauli,Petri, Ioannis & Iudæ epistolæ, ne solis eorum allegationibus contenti simus. Quid enim uerbis opus est,ubi manifesta & certa rerum testimonia cernũtur? Nonne proprijs martyribus quę pleriq; ipsorũ sponte sua subierunt,cum fugere & euitare facile possent,& pluribus etiam mortuorum hominum suscitationibus,animas remanere post mortem ostenderũt? Innumerabiles infinitorum penè martyrũ cateruas omittamus, qui certatim undecim illis famosis diuersorũ impiorum Imperatorum aduersus Christianos persecutionibus,ad aspera & diuersa martyria concurrebant,atq; exinde ad æterna cœlorum regna aspirabãt. Missos insuper facimus Ioannẽ Chrysostomum,Gregorium Nazanzenũ,Ma-

gnum

gum Basilium, Cirillum, Origenem, reliquosque externos, Hilariũ, Cyprianũ, Lactantium, Ambrosium, Hieronymũ, Augustinum, Gregoriũ pontificem, & cæteros catholicæ ecclesiæ doctores Græcos pariter ac Latinos, quandoquidẽ omnes isti in cũctis operibus suis, quæ penè infinita reliquerunt, nihil aliud agere operariq; contenderunt, nisi ut optima ac uera & solida utriusq; testamẽti fundamenta, quodammodo obscura & inuoluta, explanarentur, atque quoad fieri poterat paulò clarius explicarent. Cum itaq; pluribus rationibus, multisq; tam profanis quàm sacris præstantissimorum uirorum autoritatibus, animam immortalem esse antea probauerimus, nũc de tribus eius naturalibus potentijs, quemadmodum nos facturos esse promiseramus, deinceps pauca dicemus: ac primo de ipsa hominis intelligentia breuissime agemus, cuius quidem quantæ & quàm excellentes uires sint, pleraq; magna & ingentia uel facinora uel machinamenta admirabiliter inuenta & intellecta de-

Incredibilis humani ingenij uis

clarãt. Nam ut à leuioribus incipiamus, quanto & quàm mirabili ingenio prædi tum Iasonem argonautarum principem fuiſſe exiſtimamus, quando primũ illud nauigiũ conſtruxit, quo argonautæ eius collegæ uecti, horriſonum mare ingredi atque horribiles ſæui pelagi fluctus ſecu re & intrepide, incredibile dictu, tranſi= re auſi ſunt? Id cuique ita mirabile uide= ri poterat, ut unumquenque uidentem in ſui admirationem compuliſſet: ceu il= le apud Actium poëtam paſtor, qui na= uem nunquam antea uidiſſet, ut procul diuinum & nouum illud uehiculum ex alto conſpexit, perterritus & admirabun dus hoc modo loquebatur: Tanta mo les labitur fremebunda ex alto, ingen= ti ſonitu & ſtrepitu per ſe undas euoluit, & reliqua. Huiuſmodi nauigandi artifi= cium paulatim per multa temporum mo menta, uſque ad hanc noſtram ætatem, ita excreuiſſe uidemus, ut in miraculum uſque proceſſerit. Nam non modo Bri= tannicum & glacialem oceanum, ut in= quit poëta, quotidie nauigare conſueue runt,

runt, ſed etiam in intimam penè Maurita niã, ultra terminos antea nauigabiles nu per penetrare contenderunt: ubi plures cultas & habitatas inſulas penitus ante= hac incognitas repertas fuiſſe audiuim⁹. Quanta quoque induſtria ingentes illas et celeberrimas Aegypti pyramides, at= que illam etiam quæ Romæ cernitur al= tiſſimã turrim in pyramidalem formam redactã, factas fuiſſe arbitramur? Quan= ta inſuper arte Philo Athenienſibus ar= mamentarium illud à Græcis ſcriptori= bus tantopere laudatum, opus ut ſcribi= tur impenſa & elegantia uiſendum, con ſtruxiſſe creditur? Quanta præterea ſo= lertia arcam illam, ob priſcã generalis di luuij tempeſtatem, à Noë humani gene ris uel conſeruatore, uel conſolatore po= tius, quod nomen eius ex Hebræa in lati nam linguã interpretatũ ſignificare uide tur, fabrefactã fuiſſe putamus? Et ne de uetuſtis & admirabilibus ædificijs, quæ penè innumerabilia fuerũt, impræſentia rum plura dicamus, ad noua & recentio ra pauliſper accedamus. Quanto mentis

acumine Philippus cognomēto Brunel liſcus, architectorū omniū noſtri tēporis facile princeps, magnū uel potius maximum Florentinæ ædis fornicē illū admirabilem, nullis lignorū ferrorū ue armamentis, incredibile dictu, fabricatus eſt. Nec minori uel maiori potius induſtria egregios pictores, pręcipuos ſculptores quædam ſolennia pinxiſſe nouimus.

Egregia pictorū exempla.

Quippe Zeuſim, Apellem, Eufranorē, tanto et tam ſubtili artificio picturas ſuas effinxiſſe legimus, ut unus pictam Helenam artificioſis lineamētis talem expreſſiſſe laudat̃, qualem Læda eius mater cœleſti partu ædidiſſe uidebat̃. Alter equā canemq́ tales depinxerat, ut equi canes ue tranſeūtes uiua quaſi imagine capti allectiq́ interdum hinnire ac latrare cogerentur: Quoniā ea animalia uera eſſe exiſtimabant, quæ in pariete picta in propatulo cernebantur. Alius tanta arte recentes uuas unà cum racemis effingebat, ut uolantes aues falſa ſpecie deceptas parietem pictū cum roſtris pulſandū paſcendi gratia compelleret. Quid de Iotto noſtro





ſtro optimo ſuorum temporum pictore dicemus? quem Romæ, quem Neapoli, quē Venetijs, quē Florentię, quē deniq; pluribus alijs celebratis urbibus multa ita egregie depinxiſſe cõſtat, ut cum antiquis illis maximis eius artis magiſtris non iniuria conferri & computari poſſe uideatur. De Praxitele, Phidia, & Polycreto, optimis & excellentiſſimis ſtatuarijs, idem ſentimus, quod de commemoratis pictoribus paulò ante ſenſiſſe diximus, quorum primus Venerem in quodam Indorũ templo marmore ita uenuſte expreſſit, ut uix à libidinoſis trãſeuntium conſpectibus tuta & pudica ſeruaretur. Ab alio tamen neſcio quo, Syracuſis uacca quædam ænea conflata prætereuntem taurum ad eius amorem et concubitum excitauit. Duorum quoq; aliorum pleraq; maxima & admirabilia adhuc Romę ſigna uiſuntur. Quid de Laurentio peregregio noſtri tẽporis ſtatuario referemus? cuius quidem excellentes admirabilesq; uirtutes in nobilitatis preſertim & celebratis ſacræ ædis noſtrę

ianuis in propatulo uiſuntur? Sed ut ad altiora et liberaliora ingenuarum artium monumenta aſcendamus: Quid de poëtis, Homero, Heſiodo, Euripide, Pacuuio, Virgilio, Plauto, Horatio, & Seneca, cæteris'que Græcis pariter & Latinis commemorabimus? quos poëmata & figmenta ſua tãta ingenij acie finxiſſe conſtat, ut non ſine aliquo cœleſtis mentis inſtinctu ea perfeciſſe & abſoluiſſe uideantur. Nobilitatos hiſtoricos & oratores ac iuriſconſultos, Thucydidem dicimus & Polybium, Herodotum ac Diodorum, Liuium & Salluſtium, Curtium ac Iuſtinum, Demoſthenem & Aeſchinem, Ciceronem & Hortenſium, Scæuolam & Paulũ, & reliquos huiuſmodi præſtantiſſimos uiros omittamus, quos precipuam elegantiam, & magnam multarum rerum peritiam non ſine ſingulari ingenio acquiſiuiſſe manifeſtũ eſt. Philoſophos inſuper miſſos faciamus, Pythagoram, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Varronem, Ciceronem, Senecam & Plinium, quos in philoſophia

ita claruisse manifestum est, ut de cũctis naturalibus rebus mirabiliter perscrutarentur, subtilesq; & acutas cogitationes suas græcis & latinis literis commendarent. Iam de medicis medicinæq; autoribus pariter sileamus: Quod quidem artificium accurata & diligens hominum solertia, ad utilitatem suam mirum in modum excogitauit: ut ægrotis & infirmis corporibus, suis adinuentionibus & opportunis pharmacis salubriter mederentur. Astrologi insuper motus conuersionesq; syderum, ortus, obitus que signorum & planetarum magna cum attentione suspicientes, in tantam eorum cognitionem peruenerunt, ut uarias Solis lunæq; eclipses defectiones que multo antè prædicerẽt, & futuras frumentorum, olei, uini ubertates, inopias que prænoscerent: quales multos & in primis Thalem Milesium, qui ob magnam quandam olei emptionem, cuius penuriã per astrologiam futuram esse præuiderat, ex paupere diues effectus est: Et Archime-

Cõmoditates ex astrologia.

dem Syracusanũ, extitisse tradũt, quem diuersos lunæ, Solis, ac quinq; errãtium stellarum motus in sphęra nescio qua ab eo mirabiliter fabrefacta, ita illigasse dicitur, ut omnes eorũ dissimilimos motus, mirabile dictu, una regeret cõuersio. De quo Lactantius eleganter in secundo diuinarum institutionum libro uerba hæc ponit: An Archimedes Siculus cõcauo ære similitudinem mundi ac figuram potuit machinari? in quo ita solem lunamq; cõposuit, ut inæquales motus & cœlestibus similes cõuersionibus singulis quasi diebus efficerent, non modo accessus solis ac recessus, uel incremẽta, diminutionesq; lunæ, uerumetiam stellarum errantium uel uagantium dispares cursus orbis ille dum uertit exhiberet. Postremo quanta & quàm magna theologorũ nostrorum ingenia fuerint, facile arbitrari & cogitare poterimus, si multiplices libros eorum accuratissime legere & intelligere uoluerimus, in quibus præcipua quædã de mundi creatione, de angelorũ productione, de prouidẽtia Dei, de diui

Archimedes.

narum

narũ perſonarũ diſtinctione, & de incar natione uerbi, ac cæteris huiuſmodi uel maxime continent. Quę quidem omnia myſteria, etſi prophetis ab initio diuini- tus reuelata fuiſſe exiſtimemus, à quibus poſtea ad ſupradictorum theologorum notitiam proueniſſe noſcuntur: tanto ta men artificio, ac tam acri & tam ſubtili in genio illa prophetarũ firma & ſolida fun damenta confirmaſſe & corroboraſſe ui dentur, ut obſcura illa & occulta & inui ſibilia atq; incomprehenſibilia, propria mẽtis acie cõprehendiſſe et uidiſſe com- periantur. Vnde qui hæc & cætera hu- iuſmodi conſpexiſſe putantur, hi profe- ctò docuiſſe perhibẽtur, ſimilem animũ ſuum eius eſſe qui ea ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in mari toto ue mundo fabrica tus eſſet. Sed ne plura de humana intelli gentia dicamus: Quid de memoria alte- ra naturę dote referemus? cuius quidem quãta & quàm mirabilis poteſtas ſit, ſum matim dicere, nedum explicare, difficile uel impoſſibile foret. Nõ quærimus quã ta memoria Simonides, quanta Theodo

rus, quanta Cyneas Pyrrhi ad ſenatũ legatus, quanta Carneades, quanta Speuſippus, quanta Metrodorus, quãta Themiſtocles, quanta Cyrus, quãta Mitridates, duo potentiſſimi reges, quãta Lucullus, quanta Hortenſius, quanta Seneca, quosq; cæteros præſtãtes & eruditos uiros in hoc ipſo memorandi officio excelluiſſe legimus: de cõmuni hominum memoria loqmur, et eorũ maxime q in quibuſdam maioribus ſtudijs liberalibusq; artibus uerſati, ingenuã magnarum rerũ cõtemplatione operã nauauerũt, quorũ quanta mens fuerit existimare propterea difficile ac penè impoſſibile eſſe cenſemus, quoniã infinita & quaſi innumerabilia rerũ & uerborũ ueſtigia meminerunt: Cuius quidẽ etſi tãta uis eſt, ut eam breuiter pro dignitate ſua explicare nequeam9, artificiũ tamẽ quoddã ſiue à Simonide poëta Chio, ſiue ab aliquo alio præſtantiſſimo uiro repertum fuiſſe accepimus, quod maximum naturali memoriæ lumen afferret. In hoc tam admirabili omnium rerum theſauro inter cætera

duplex

duplex uis, una rerũ, altera uerborũ, ita
latêre perhibetur & creditur, ut quanq;
per eam potentiam ſimul & res & uerba
percipiamus, quoſdam tamen una plus
quàm altera ualuiſſe & uiguiſſe intelliga
mus: ceu de Lucullo & Hortenſio apud
Ciceronẽ legiſſe meminim⁹. Hæc enim
ipſius in Academicis uerba ſunt: Habuit
enim Lucullus diuinam quandam me=
moriam rerum: Verborũ maiorem Hor
tenſius. Sed quo plus in negotijs geren
dis res quàm uerba proſunt, hoc erat me
moria illa pręſtantior: Quã fuiſſe in The
miſtocle, quẽ facile Græciæ principem
ponimus, ſingularem ferunt: qui qui=
dem etiam pollicenti cuidam ſe artem ei
memoriæ, quæ tum primum proferеba
tur, traditurum, reſpondiſſe dicitur, obli
uiſci ſe malle quàm diſcere. Credo quod
hærebant in memoria quęcũq; audiebat
& uiderat. Tali ingenio pręditus Lucul
lus adiunxerat etiã illlam quã Themiſto
des ſpreuerat diſciplinam. Itaq; ut literis
cõſignamus quæ monumentis mãdare
uolumus, ſic ille in animo res inſculptas


habebat, & reliq. Duabus supradictis singularibus & pręcipuis dotibus, quarum una singula quæque intelligere, altera uero cũcta quæ intellecta essent meminisse ualeremus, siue Deũ siue naturã liberũ uolũtatis imperiũ nõ immeritò adhibuisse cognoscimus: ut per huiusmodi potestatẽ mala scilicet euitare & effugere, bona uero appetere & eligere possemus: Quod theologi liberum uoluntatis arbitrium appellauerũt. De quo quidẽ quale & ante & post primi hominis transgressionem fuisset, qualeque in posteris remansisset, plura à sacris doctoribus eleganter tractata in præsentiarum recitaremus, si idoneũ in calce huius libri differendi locum fore putaremus. Sed cum iampridẽ de animæ definitione, & de eius immortalitate, ac de tribus suis naturalibus potentijs, quo à nobis breuius & diligentius fieri potuerit, hucusque disseruerimus, multo melius fore existimauimus, ut de toto iam homine, adiutore & fautore Deo, dicere & tractare incipiamus, quãdoquidem de duabus principalibus

partibus

partibus ex quibus ipse componitur, satis pro facultate nostra disseruisse meminimus. Amen.

LIBRI SECVNDI FINIS.

IANOCII DE MANECTIS, EQVITIS AC IVRECŌSULTI Florentini, de dignitate & excellentia hominis Liber III.



VONIAM corpus & animam duo sola esse intelligebamus, ex qbus homo constabat, ac quædam propria et peculiaria corporis, quędam uero animi singularia & admirabilia, nonnulla etiam utriq; cōiuncto communia uidebamus: Idcirco cum plura de egregijs quibusdā humani corporis muneribus primo, atq; de præcipuis quoq; rationalis animæ dotibus & priuilegijs secundo libro, hactenus tractasse meminerimus: deinceps hoc tertio pauca de

toto homine, dum erit in hac uita mortali, differemus: quem ab omnipotēti deo mirabiliter constitutū fuisse, iure dubitare & ambigere nō possumus, quādoquidem partes illas ex qbus hominē ipsum cōstrui ac cōponi intelligimus, diuinitus factas creatasq; antea probauerimus. At uerò si quis rudis & ignarus rerum, de hoc ipso fortè suspicaretur, tunc profectò omnis eius suspicio scrupulusq; cessaret, cum has duas, corporeā scilicet & spiritalem, tam diuersas ac tam distantes naturas, inter seq; contrarias, simul & in unum ita admirabiliter ac uere diuinitus conuenisse uel parumper considerauerit: quod aliter q̃ ab omnipotenti Deo nullatenus fieri potuisse certissime scimus: præsertim cum ea sibijpsis maxime aduersantia ac repugnantia uideamus. Verum quanquam idipsum, ex his quæ in præcedentibus libris late copiose que explicauimus, ita certum & manifestum sit, ut nulla ratione, nulla ue autoritate ad probandum & confirmandum indigere uideatur; quia tamen res magna &
ardua

ardua eſt, ubi omnis noſtra diſputatio fundatᷓ, & unde quoq; reliquus orationis noſtræ curſus emanabit & profluet, paulò altius ab origine repetemus: ac primo quid ſit homo breuiter oſtendemus: omnis enim quæ de aliqua re ſuſcipitur inſtitutio, iuxta ueterē illam famoſamq; ſententiam, debet à definitione proficiſci: ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur. Hominem animal ſociale & ciuile, rationis & intelligentię capax, ab errãtibus luciſq; ignaris & cæcutientibus philoſophis definitũ eſſe nouimus. Nos igitur, quibus occultũ & abſtruſum ueritatis lumen ex diuinis ſacrarũ ſcripturarum oraculis illuſtratum euidenter apparuit, hanc ipſam, qualiſcunq; eſt, gentilium & ethnicorũ hominum deſcriptionem etiam atq; etiam conſiderantes, non uſq;quaque perfectam eſſe cõperimus. Nam cum eos mentē ſuam fragili quidē & tenebroſo propriorũ corporũ domicilio illigatã, nec ullo niſi naturali duntaxat lumine ſuſtentatam poſſediſſe, atque propterea recõditam quandã magnarũ

rerum obſcuritatē humanis diſputationibus penitus & omnino aſſequi non potuiſſe intelligeremus, ſupernaturali et diuino ſplendore fulciti & adiuti, in hunc certe modum corrigere & ſic emendare audebimus; Vt homo ſit animal cum reliquis adiectionibus ſupradictis, partim mortale dum eſt in hac uita ſeculari, partim uero immortale ubi à mortuis reſurrexerit. Sed poſtquā nōnullam de certis antiquorum philoſophorum erroribus, quaſi fortuitam mentionē fecimus, hanc partem, quantum ad præſens propoſitū ſpectare & pertinere cenſebimus, parūper proſequamur. Multi mūdum fortuito, ut Leucippus, Democritus, Dicæarcus & Epicurus, factum: Multi uero peripatetici ſemper fuiſſe, opinantur. Stoici autem mundū ab omnipotenti Deo formatum & conſtitutum eſſe dicunt. Qui fortuito factū contendūt, nulla Dei prouidentia regi gubernariue confirmant. Peripatetici quāuis ſemper fuiſſe exiſtimauerint, diuina tamē prouidentia unà cū Stoicis adminiſtrari gubernariue ſenſerunt.

ferunt. Sed ne forte aliqua prædictorum philosophorũ hæresis, uel, ut planius & expressius loquamur, secta ab humanis erroribus aliena esset, Stoici nimirũ cæteris omnibus grauiores, de hac ipsa materia ita diffuse disseruisse comperiũtur, ut Deum, quem mundi fabricatorem arbitrabãtur, operi suo immiscuisse uideantur. Vnde illud Virgilianum natum essẽ creditur:

Totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Itaq; Academicis, tanq; de omnibus ambigẽtibus, quoniã nihil sciri posse existimabant, penitus prætermissis: & Epicureos diuinam prouidentiam omnino tollentes, & Peripateticos mũdi creationẽ abnegantes, & Stoicos Deum operi suo immiscentes, aberrasse constat. Cæterũ nos quanq; homunculi & ignari simus, præsertim si cũ tantis ac tam magnis philosophis comparemur, per sacras tamen scripturas cœlitus edocti, et diuino quodam splendore illuminati, contra falsam gentilium ethnicorumq; uirorũ sapien-

tiam dicere ac differere presumẽtes, mũ-
dum ab omnipotenti Deo ex nihilo crea
tum & gratia hominis cõstitutũ asserere
et cõfirmare nõ dubitam⁹: credere nãq;
ipsum frustra et incassum tãta ac tam mi-
randa opera cõstituisse, absurdũ quiddã
& lõge à ueritate alienũ esse, quis infici-
as ibit? Nec q̃q; ꝓpter mundũ mundus
ipse factus est: nullo eñ harũ rerũ usu in-
digere uidet̃, cũ omĩno sensu careat. Nec
etiã dici potest, Deũ ꝓpter seipsum mun
dum fabricasse, cũ sine ipso esse potuisset
& posset, quemadmodũ ante creationẽ
plane & aperte fuisse cognouimus. Re-
linquit̃ ergo animarũ causa mũdum esse
constructũ, cũ rebus ipsis ex quibus con
stat animãtes ipsas uti uideamus, quate-
nus per prædictũ earũ rerum usum sese
cõseruare, ac per hunc modũ degere &
uiuere ualeãt. Si cæteras igitur animãtes
hominis tantũmodo causa factas esse ap
pareret, mundum utiq; hominis dũtaxat
gratia à Deo factum & cõstitutum fuisse
concluderet̃, quoniã ipsum propter ani
mantes factũ, & eas propter hominem fa
ctas

ctas dicimus: At hoc ipsum ex eo certũ esse declarat͂, quod omnia quæcũq; facta sunt, soli homini deseruire ac mirũ in modum famulari, meridiana (ut dicit͂) luce clarius cõspicimus: quo quidẽ ꝓbato uereq; concesso, hominẽ cuius gratia mundum creatã confitemur, utiq; à deo factũ fuisse manifestũ est. Vnde falsæ & uanæ de formatione hominis cunctorũ poëtarum opiniones extiterunt. Poëtæ nanq; hominẽ à Prometheo Iapeti filio de luto factũ esse finxerũt. Sed fieri nõ potuit ut homo uerũ & uiuũ hominẽ faceret, cum posset eadem ratione generari, qua ipse Prometheus ex Iapeto natus erat: q quidem si fuit homo generare hominem potuit, facere uero nõ potuit. Verum quia poëtas nõ omnino mentiri solere, sed figuris & ęnigmatibus sententias suas inuoluere & obscurare uulgò existimatur & creditur: Lactantius & August. huiusmodi uulgi opinionẽ apprime secuti, eos in hac ipsa fictione non usquequaq; fuisse mentitos putauerũt. Sed primum omnium Prometheũ de molli ac pingui

luto simulacrum hominis formasse, ab eoq; primitus natã esse artem statuas & simulacra fingendi tradiderunt: Siquidẽ Iouis eum tẽporibus fuisse scribũt, quibus primũ templa cõstrui, & noui deorum cultus esse cœperunt. Proinde formatio hominis proprium quoddam solius Dei opus est: nam ipse rerum omniũ machinator, cũ cuncta antea creasset, postremo fecit & formauit hominẽ. Quod Cicero, quamuis expers cœlestium literarũ, planè tamen & aperte sensisse uidetur, quandoquidem in primo De legibus libro uerba hæc apposita fuisse cernũtur: Animal hoc prouidũ, sagax, multiplex, acutum, plenum rationis & consilij, quẽ uocamus hominẽ, præclara quadam conditione generatũ, à summo Deo solum extitisse cognouimus: est enim ex tot animantiũ generibus ac naturis particeps rationis & cognitionis, cum cætera sint omnia expertia. Quod ueteres & noui, ut ita dixerim, theologi multo clarius & euidentius aperuerunt: nam Deũ consummato & perfecto mũdo, animalia uarij generis

rij generis ex diſſimilibus formis, magna & minora ut fierent imperaſſe, prodiderunt. Vnde facta ſunt bina, id eſt diuerſi ſexus, ſingula, ex quorum uarijs fœtibus & aër & terra & maria cõplerentur: deditq; eis omnibus generatim Deus alimenta de terra, ut uſui eſſe hominibus poſſent: alia nimirum ad cibos, alia uero ad ueſtimẽtum: Quæ autem magnarum erant uirium idcirco præbuit, ut in excolenda terra iuuarent: unde ſunt dicta iumenta. Item rebus omnibus mirabili deſcriptione compoſitis, regnum ſibi æternum parare conſtituit, & innumerabiles penè animas procreare uoluit, quibus immortalitatẽ largitus eſt: tum fecit ipſe ſibi ſimulacrum ſenſibile atq; intelligens, hoc eſt ad imaginis ſuipſius formã, qua nihil poterat eſſe perfectius: hominem figurauit ex limo terræ: unde homo nuncupatus eſt, quod ſit fictus ex humo. Atque hoc ipſum cuncta prophetarũ, euangeliſtarũ & apoſtolorum oracula, & ſingula quæq; catholicorum doctorum eloquia planè & apertè declarãt: quę, ne ni-

mij ſimus, perpetuo ſilentio præterire, quàm prolixo ſermone explicare maluimus: præſertim cum talia ſint ut de eis nullatenus ambigere & dubitare ualeamus. Quod ſi ueteres illi ſapientes uiri Græci ac Latini, picturã ſculpturam ue aliquam propterea apprime laudare & commendare ſolebant, quod Zeuſim, quod Apellem, quod Eufranorẽ, quod Fabiũ, peregregios pictores, uel quod Phidiam, quod Praxitelem, quod Polycletum, quod Paralum, optimos illorũ temporum ſculptores habuiſſe arbitrarentur: Quid nos in hac ipſa hominis fabricatione, certa quadam omnipotentis Dei figura, facere debemus? qui de Deo uero & ſolo humani generis autore nõ immeritò gloriamur. Etſi enim illi ſummi earum artium magiſtri fuiſſe uiderentur, homines tamen erant, qui facile labi et aberrare poterãt. Quod de hoc noſtro opificio iure ſuſpicari et titubare nõ poſſumus, cum id à Deo optimo maximo eius conditore profluxiſſe & emanaſſe ſentiamus, qui falli decipiue non poteſt.

At dicet fortasse quispiam, statuam pictu ram ue aliquam apud ueteres nõ tam ob id laudari & commendari consueuisse, quod optimos statuarios pictoresq; opifices habuerint, sed potius quod egregie decenterq; formata, & pulchris quoque lineamentis distincta uidebatur. Quod si nos ita antiquitus contigisse concederemus, ut debita membrorum cõformatio ad pulchritudinem cuiuscunque operis maxime ualeret: quanquam summa eorum magistrorum excellentia ad magnitudinem laudum plurimum conferebat: quid nos de hac hominis fabricatione respondebimus? nonne cum ex his quæ corporibus extrinsecus apparent, cum ex illis etiam quæ in intimo & præcioso humanarum animarũ thesauro inclusa perhibentur, diuinitus factam fuisse asseremus? Sed ne forte maxima & nimia humanitatis nostræ gloria allecti ac protracti, longius à proposito euagari uideamur, ad id parumper redeamus unde digressi sumus. Cum igitur hominẽ ab omnipotẽti Deo factũ esse antea pro-

bauerimus: reliquū est, ut qualem ipsum magister ille supremus fecerit, primum paulò latius ostendamus: quod deinde & quale ei ita mirabiliter constituto officium exercitiūq; dederit, breuiter enarrabimus: postremo cur eum talem cōstituerit, deinceps referemus. Quibus pro facultate nostra ieiune exiliterq; tractatis, nōnullas preterea nobilitatas, & egregias humanæ naturæ conditiones adhibere & adiungere conabimur. Primum itaq; Deus hoc tam dignum ac tam præstans eius opificium, tanti fecisse & existimasse uidetur, ut hominē formosissimū, ingeniosissimū, sapientissimum, opulentissimum, ac deniq; potentissimum efficeret: eius nanq; forma ita sublimis & excellens est, quemadmodum in primo libro uberrime ac latissime explicauimus, ut plerique tam profani, quàm sacri scriptores, Deos immortales nulla alia prætereq; humana figura, uelut cæteris omnibus longe sublimiore atq; excellentiore in templis delubrisq; pingi & effingi uoluerint: quorum formam uel humanam

Humana figura omnium præstantissima.

ue

uel potius noſtram diuinam fore oportere cenſebant: ceu Cicero in primo de natura deorum planè & apertè declarat, cuius uerba hæc ſunt: Auxerũt hæc eadem poëtæ, pictores, opifices: erat autẽ non facile agentes aliquid & molientes deos in aliarum formarũ imitatione ſeruare. Quippe huiuſmodi uana uel picta uel ſculpta deorum ſimulacra à ſimilitudine nomen acceperunt. Sed ſolum & uerum Dei ſimulacrũ homo eſt, in quo quidem quibuſcunq; eruditis ſimulatq; pijs conſideratoribus diuina quædam ſimilitudo apparere & relucere dignoſcitur. Quæ enim cõpoſitio membrorum, quæ cõformatio lineamentorum, quæ figura, quæ ſpecies, ut de extrinſecis & apparentibus dicamus, quàm humana poteſt eſſe pulchrior? Nam ſi mundus ipſe ita decorus et pulcher eſt, ut pulchrior eſſe, excogitari'ue non poſſit, ſiquidem ab ornatu & munditie nomen accepit: quàm pulchrum & quàm formoſum illud exiſtimare debemus, cuius gratia mũdi pulchritudinem factam fuiſſe nouimus? At

uero terras, maria, cœlos astris stellisq́ distinctos, diuersas solariũ & lunariũ luminũ uarietates, eorumq́ omniũ ortus & occasus, atq; omni æternitate ratos im mutabilesq́ cursus, ante oculos nostros, cõsiderãdi & contẽplandi causa parumper cõstituamus: ut qualis & quantus sit huiusmodi totus mũdi ornatus, paulò clarius & euidẽtius elucescat. Ideo uaria supradictarũ rerũ ornamẽta cõsideremus: fontiũ gelidas perẽnitates, liquores perlucidos, amnium riparũq́ uestitus uiridissimos, diuersis coloribus atq; dissimilibus, ut ita dixerim, inter se uiriditatibus distinctos: speluncarum concauas profunditates, saxorũ asperitates, impendentium montiũ altitudines, immensitatesq́ camporum circunspiciamus. Quæ uero & quàm uaria genera bestiarũ uel cicurum uel ferarum? Qui uolucrum lapsus atq; cantus? qui pastus? quæ uita sylue strium? quid deniq; de humano genere dicemus? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarũ efferari, nec stirpium asperitate

uastari,

uaſtari, quorumq́ operibus agri, inſulę, littoraq́ collucent diſtincta terris & urbibus. Quæ quidē omnia ſi ut animis ſic oculis uno aſpectu uidere & conſpicere poſſemus, quale & quàm mirabile ſpectaculum nobis ita uidentibus & cōſpicientibus appareret, nec uerbis abunde explicare, nec mente ſatis excogitare ualeremus. Etenim ſi priſcis tēporibus illi præſtantiſſimi uiri ſe aliquid dignum aſſecutos fuiſſe putabant, qui oſtium ponti uiderant, & eas anguſtias per quas penetrauerat Argos prima illa & celebrata nauis: aut ij qui oceani freta illa conſpexerant, ubi rapax unda Europam Libyamq́ diuidens ab inuicem dirimebat: Quod & quale ſpectaculum fore cenſemus, ſi totam, terram, ſitum, formam, circumſcriptionem, pulchritudinem, ſimul contueri liceret? At uero quoniā omnia in unū ſimul collecta corporeo uiſu conſpicere uidereq́ nequimus, ſaltem ſingula quæq́ maiora & digniora paulò uberius deſignemus, atque aliquanto latius amplificemus, ut per hanc amplificatio-

nem nostrã hæc ipsa tam pulchra & tam decora ac tam admirabilia, quandoquidẽ conspicari non possumus, saltem multo melius comminisci & contemplari ualeamus. Quanta itaq; est maris oceani pulchritudo? quamq; incredibilis magnitudo? quo uniuersus terrarũ orbis ambiri & circuiri uidetur. Quãtus deinde huius nostri mediterranei decor & ornatus? quod ab illo uelut à fonte et à capite profluens plerasque prouincias regionesq; mirabiliter abluit. Quæ deinde species? quæ magnitudo? quæ moles? quæ uarietas uniuersi? quæ amœnitas orarũ ac littorum? Quot genera, quamq; disparia partim submersarum partim fluitantium & innatantium belluarũ? Quanta quoq; sunt cœlorum ornamenta? Sol enim qui nobis ita paruus apparet, ut humanũ caput uel paululũ excedere uideatur, magnitudine tamẽ sua multis partibus tota terra, circa quam cõtinuo quodã ac perpetuo motu uoluitur, maior: Isq; oriens & occidens diem noctẽq; conficit, & modo accedens & modo recedens binas in

Solis magnitudo & cursus.

singulos

ſingulos annos reuerſiones ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum uiciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata uideatur. Luna cuius magnitudo terra ipſa minor eſt, his quibus Sol ſpacijs uagatũ. Reliquæ ſtellæ, quas uagas & errantes gręco uerbo planetas dicimus, circa terram ferũtur, eodemq; motu oriuntur & occidunt: quorum motus tum incitantur tum retardantur, ſæpe etiam inſiſtunt. Sequitur ſtellarum inerrantiũ maxima multitudo, quarum diſtinctio profectò talis & tanta eſt, ut eo ſpectaculo nihil pulchrius, nihil ornatius, nihil denique admirabilius fieri, repęriri, excogitari, poterat. Quod quidem omnipotens Deus non ſolum idcirco feciſſe uidetur, ut maius & euidentius ipſius uniuerſi ornamentum appareret: ſed etiam ne Solis lumine ad occaſum deſcendente, obſcura & cæca nox, tetris atque horrentibus tenebris nimiũ ingraueſceret, noceretq; uiuentibus hominiq; obeſſet, cuius gratia cũcta quæq; uiuentia inſtituiſſe & or-

dinasse nouerat: proinde ipsas noctis tenebras ob tantũ & tam incredibilem par uarum stellarũ numerositatẽ multis minutisq́ʒ luminibus tẽperauit. Quæ quidẽ quasi omnia Cicero in primo Tusculanarum disputationũ his uerbis comprehendere & cõplecti uidetur. Primũ uidemus speciem cãdoremq́ʒ cœli: deinde cõuersionis celeritatẽ tantam, quantã cogitare nõ possumus: tum uicissitudines dierũ & noctiũ, cõmutationesq́ʒ temporũ quadripartitas, ad maturitatẽ frugũ & ad temperationẽ corporũ aptas, eorũq́ʒ omniũ moderatorẽ & ducẽ solem, lunamq́ʒ accretione & diminutione luminis quasi fastorũ notantẽ & significantẽ dies. Tum in eodẽ orbe in duodecim partes distributo quinq́ʒ stellas ferri, eosdẽ cursus cõstantissime seruantes disparibus inter se motibus, nocturnãq́ʒ cœli formã undiq́ʒ sideribus ornatã. Tum globũ terræ eminentẽ è mari fixũ in medio mũdi uniuersi loco, duabus oris distantibus, habitabilẽ & cultũ: quarũ altera quã nos incolimus, sub axe posita ad stellas septem, unde

Horrifer

Horrifer aquilonis stridor gelidas molitur niues.

Altera australis ignota nobis, quã Greci uocãt αὐτάξονα. Cæteras partes incultas, quod aut frigore rigeãt, aut urant calore Hic aũt ubi habitamus nõ intermittit suo (tẽpore

Cœlum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificæ pampinis pubescere,
Ramos baccarum ubertate incuruescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata conuestirier.

Tum multitudinẽ pecudũ partim ad uescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad uehendum, partim ad corpora uestienda, hominemq; ipsum quasi cõtemplatorẽ cœli ac deorũ, eorumq; cultorẽ, atq; hominis utilitati agros omnes & maria parẽtia. Si ergo mũdi huius ornatus, ne forte in rebus tam claris tamq; euidentibus longiores simus, talis & tantus esse perhibetur et creditur, qua forma, qua pulchritudine, quo decore hominẽ prẹditum existimare debemus? cuius solius causa mũdum ipsum pulcherrimum & ornatissimum factum esse non dubitamus. Nõ mirum igitur si ueteres nouiq;

non iniuria fore potuiſſet: ceu in primo huius operis libro multo latius & uberi=us explicauimus. Sed hæc hactenus de forma. Quid uero de ſubtili & acuto eius tam pulchri & tam formoſi hominis in=genio dicemus? quod equidem tantum & tale eſt, ut cuncta quæq; poſt primam illam nouam ac rudem mundi creationē ex ſingulari quodam & præcipuo huma næ mentis acumine à nobis adinuēta ac confecta & abſoluta fuiſſe uideātur. No ſtra nanq;, hoc eſt humana ſunt, quoniā ab hominibus effecta, quæ cernuntur, omnes domos, omnia oppida, omnes ur bes, omnia deniq; orbis terrarum ædifi=cia, quæ nimirū tanta & talia ſunt, ut po=tius angelorum quàm hominum opera, ob magnam quandam eorum excellen=tiam, iure cenſeri debeant. Noſtræ ſunt picturæ, noſtræ ſculpturæ, noſtræ ſunt artes, noſtræ ſcientiæ, noſtræ (uel uolenti bus uel inuitis Academicis, q nihil omī=no à nobis, neſciētia, ut ita dixerim, dun=taxat excepta, ſciri poſſe arbitrabantur) ſapientiæ. Noſtræ ſunt deniq;, ne de ſin=

gulis longius differamus, cum propè infinita sint, omnes adinuentiones, nostrá omnia diuersarum linguarum ac uariarum literarum genera, de quarum necessarijs usibus quãto magis magisque cogitamus, tanto uehementius admirari & obstupescere cogimur: nam cum primi illi homines ac uetusti eorum successores sine mutuis quibusdam & uicissitudinarijs fauoribus, per se solos nequaquam uiuere posse animaduerterẽt, subtile quoddam & acutum loquendi artificium adinuenerunt, ut per linguam intercedentibus uerbis abstrusa quæque intimæ mentis sensa cũctis audientibus innotescerẽt. Cum deinde tractu, ut fit, temporis, genus humanũ mirum in modum multiplicaretur: ac diuersas orbis regiones prouinciasque incoleret, necessarium fuit, ut elementorum characteres inuenirentur, quibus absentes amicos de cogitationibus nostris certiores reddere ualeremus: Vnde tam uaria linguarum genera & tam diuersæ literarũ figuræ emanasse & profluxisse cernuntur.

tur. Nostra sunt denique omnia machinamenta, quæ admirabilia & penè incredibilia humani uel diuini potius ingenij acies ac acrimonia singulari quadam ac præcipua solertia moliri fabricarique constituit. Hæc quidem & cætera huiusmodi tot ac talia undiq; conspiciuntur, ut mundus & eius ornamenta ab omnipotenti Deo ad usus hominum primo inuenta institutáque, & ab ipsis postea hominibus gratāter accepta, multo pulchriora multoq; ornatiora ac longe politiora effecta fuisse uideantur. Vnde factum est, ut primi quarumcunque artium inuentores pro dijs à priscis gentibus colerentur, de quibus quidem credibilior, ut in septimo De ciuitate Dei, inquit Augustinus, redditur ratio, cum perhibentur homines fuisse, & unicuiq; eorum ab his qui illos adulando deos esse uoluere, & eorum ingenio, moribus, actibus, casibus, sacra & solennia constituebantur. Quid insuper de humana sapientia referemus? cum ipsa ordinandi operatio ad dignum quoddam & unicū

ſolius ſapientis officium ſpectare perti-
nereq́ꝫ exiſtimetur. Illū enim ſapientem
eſſe iure dubitare & ambigere non poſ-
ſumus, cuius proprium officium ſapere
dicimus: quod in nullo alio magis conſi
ſtere uidetur, quàm ut ordine ſuo inter
agendum utatur. Sed ut paulò apertius
diſſeramus: Sapientis proprium officiū
eſſe credit, ut omnia quęcunqꝫ facta ſunt
ſingulari ſua ſapientia inſtituat, ordinet
atqꝫ gubernet. Atqui hæc quæ in mūdo
cernūtur pleraqꝫ ab hominibus ordinata
& inſtituta fuiſſe, nemo inficias ibit: Ho-
mines enim, uelut omnium domini, ter-
ræq́ꝫ cultores, uarijs eam diuerſisq́ꝫ operi
bus ſuis mirum in modum coluerūt, atqꝫ
agros & inſulas littoraqꝫ terris & urbi-
bus diſtinxerūt. Quę ſi ut animis, ita ocu-
lis uidere atqꝫ conſpicere ualeremus, ne-
mo cūcta uno aſpectu intuēs, quēadmo-
dum ſupra diximus, ullo unquā tempo-
re admirari atqꝫ obſtupeſcere deſiſteret:
Cæterum non ut oratorum ſolum, ſed
etiam ut dialecticorum more, argumen-
tandi & declarandi cauſa, quandoqꝫ ar-
gumenta

gumēta ſtringamus: Sapiētia ipſa de qua impræſentiarum diſſerimus in ſolum hominem cadit: licet calliditas & aſtutia in mutis quoq; animalibus reperiatur: uel cum alijs inſidiantur, & deuorandi gratia dolo capiunt, uel cum inſidias cęterorum uario quodam luſionis genere deludunt. Eſt enim ſapiētia, ut inquit Ariſtoteles, ſciētia & intellectus precioſiſſimorum natura: Vel, ut Lactantio placet, intelligentia uel ad bonũ rectumq; faciendum, uel abſtinentia dictorũ factorumq; improborũ: Vel, ut aliquãto clarius explicemus, profectò nihil aliud ſapientia eſt, quàm certa quædã unius ac ueri Dei notitia: Omnis enim hominis ſapiētia in hoc uno & ſolo conſiſtere & reſidere uidetur, ut Deum præ cæteris cognoſcat & colat. Præterea alia intellectiuarum ac moralium uirtutum opera, ad quem alterum quàm ad ſapientem hominem ſpectare & pertinere uideãtur, nequaquam intelligimus: qui cum cerneret duplicẽ illum iraſcibilẽ appetitũ nobis cum brutis eſſe cõmunem, ad cohibendum effre

natos rebelles que huiusmodi appetitus impetus, prædictas intellectus morisq; uirtutes adinuenisse ac reperisse perhibetur, quibus ueluti frenis quibusdã uarias ac multiplices & obscœnas uoluptates compesceret: quarum humanarum duntaxat, quàm illum cæterarũ animantium appetitum fertiliorem & abũdantiorem esse uoluit. Nam cæteræ animãtes, præter unam libidinis uoluptatẽ, quæ ad generandũ pertinet, nullam sentiũt. Vtuntur ergo sensibus ad naturæ suæ necessitatẽ. Vident, ut appetãt ea quibus opus est ad uitam tuendam. Audiũt, inuicem seq; dignoscũt, ut possint cõgregare quę utilia sunt ad uictum: aut ex odore inueniunt, aut ex sapore percipiunt. Inutilia respuunt ac recusant. Edendi & bibendi officium uentris plenitudine metiũtur. Ac ne plura de humana sapientia dicamus, Quid de hominũ diuitijs atq; opibus referemus? Nostræ sunt terræ, nostri sunt agri, nostri sunt cãpi, nostri montes, nostri colles, nostræ ualles, nostræ ficus, nostræ persici, nostræ cerasi, nostræ

pruni,

pruni,nostrę nuces,nostræ auellanæ,nostræ aranci, nostræ mespilæ, nostræ sorbi,nostræ castaneæ,nostræ quercus,nostræ ilices,nostræ fraxini,nostræ platani, nostræ abietes,nostrę cupressi,nostræ pini, nostræ denique, ne de pluribus sigillatim dicamus, omnes cũ domesticæ tum syluestres arbores. Postremo nostri cunctarũ herbarũ fructus, quarũ genera tot & tanta esse perhibẽtur, ut penè infinita uideãtur. Nostri equi, nostri muli,nostri asini,nostri boues,nostri tauri, nostri cameli,nostri canes, nostra pecora, nostra omnia armẽta, nostri sues, nostræ oues, nostræ caprę,nostri agni,nostri hędi,nostri arietes, nostræ cũctæ quæque greges. Et ne de cicuribus duntaxat disseruisse uideamur, nostri præterea sunt lepores, nostri capreoli, nostri apri, nostri cerui, nostræ uulpes, nostri lupi,nostræ natrices,et cætera reptilia: nostræ cũctæ quæque feræ, & omnia syluestria. Nostri homines, nostra flumina,nostra fluenta,nostri fluuij,nostri torrẽtes,nostri lacus,nostra stagna,nostri fontes,nostri riuuli,no

ſtra maria, noſtri omnes piſces, quorum ſpecies innumerabiles prędicantur. Noſtra pariter reliqua duo elementa, aër & æther: ſiquidem noſtræ aues. Quarũ diuerſitates tot & tantæ eſſe perhibentur, ut prouidentia diuina, quã gręci πρόνοιαν nuncupant, epicurea fuiſſe uideatur: cũ tam uaria ac tam uoluptuoſa, partim animatarum partim inanimatarũ rerum genera hominibus ipſis parare & adminiſtrare uoluerit; quoniam multiplices & uarias diuerſorum animalium ſpecies in terris, in aquis, in aëre, ad uſum hominis effectas affatim collocauit, abundeq; cõſtituit. Quod in æthere ſimiliter feciſſet, ſi eius elementi natura omnium conſumptrix fieri permiſiſſet. Quid plura? noſtri ſunt cœli, noſtra aſtra, noſtra ſidera, noſtræ ſtellæ, noſtrę planetę, & quod mirabilius uideri poteſt, noſtri ſunt angeli, qui, ut inquit Apoſtolus, adminiſtratorij ſpiritus in uſum hominũ creati fuiſſe credũtur; quod Dionyſius Areopagita peregregius eius diſcipulus, in pręclaris illis De angelica & eccleſiaſtica hierar-

chia

chia uoluminibus, interpretari & explanare cupiens, inter cætera angelorũ officia, id præcipuum & peculiare esse confirmauit & uoluit, ut homines angelicis inspirationibus illuminarent, illuminatosq́ purgarent, purgatosq́ perficerẽt. Nõ solũ prædictis huiusmodi illuminandi, purgandi, ac perficiendi ministerijs, sed pluribus quoq; alijs famulatibus humano generi inseruire & obsequi cõperiuntur. Quod multa & quidem celebrata ueteris ac noui testamẽti exẽpla plane & aperte declarant. Nam & Abrahæ ad ilicem Mambræ, ut scribitur, sedenti tres angelos, ut filium sibi ex Sara iam nonagenaria nasciturum significarent, apparuisse legimus: quem Isaa: propterea cognominauit, quoniã Sara, quasi impossibile foret, quod muliebria multo ante fieri desierant, risisse dicitur: Huiusmodi enim nomẽ ex hebræa in latinam linguã cõuersum, risus interpretatur. Et unum alterum postea cum Iacob, ut admirabilẽ quandam suiipsius uirtutem comprobaret, conflixisse nouimus, ex quo Israëlis

cognomen accepit, quoniam angelo in mutuo congressu, angelicoq́ꝫ duello uiriliter restitisset. Ac Raphaëlem insuper Tobiæ filio, cum à patre eiusdē nominis exigēdi decem talentorū argenti gratia, quæ ipse Gabelo cuidam amico suo mutuo dederat, è Galilæa, unde oriundus erat, usqꝫ in Mediam prouinciā mitteretur, peregrini ac longinqui itineris ducē & comitem extitisse accepimus. Daniel præterea cum in lacum leonū iussu Darij Medorum principis à feris laniādum mitteretur, atqꝫ tres quoque uiri eius socij in maximum quendam ardentis fornacis rogum, ex præcepto Nabuchodonosor regis Babylonis, ligatis manibus & pedibus proijcerentur, omnes angelicis obsequijs à crudelibus feris, à flammaq́ꝫ illęsos, & ab igne demum liberatos fuisse scimus. Sed quid nos plura uel ueteris uel noui testamenti exempla cōquirimus, cum omnia sacrarum scripturarū loca angelicis mysterijs refertissima uideamus? Siquidē Gabrielem Mariæ uirgini salutiferam Christi cōceptionem: &

beatis

beatis quoq; pastoribus nõ unum ange-
lum, sed potius angelorum agmen, nam
multos fuisse cõstat, eius natiuitatẽ nun-
ciasse: & Iosepho patri, de pueri nati in
Aegyptum delatione, & non multo ex-
inde reuersione, angelos retulisse memi
nimus. Et sexcenta alia huiusmodi ex e-
uangelica lectione prouenisse cognoui-
mus. In Vitis deniq; sanctorum patrum
angelos plures defunctorum hominum
animas in cœlum portasse, & obsequia
in funeribus frequenter exhibuisse non
dubitamus: quæ, ne nimij simus, prẹter-
mittere, quàm recitare maluimus, præ-
sertim cum talia sint, ut neminem uel me
diocriter quidem doctum latêre debeãt.
Ex qbus omnibus superius à nobis enar
ratis, & satis superq; satis confirmatis, ho
minem opulentissimũ ac potentissimum
esse planè & aperte concludit: Quando-
quidẽ cunctis quæ creata sunt sua uolun
tate uti, propriaq; uoluntate dominari &
imperare potest. Hæc omnia cum uete-
res Romani humano generi diuinitus à
natura data esse cognoscerent, atque ipsi

Ioui, utpote cæterorũ deorum, quemadmodum ipsi opinabãtur, principalissimo, accepta referrent: idcirco optimum maximum appellabant. Præterea solertissimi artificis prouidentia homini ipsi, quem tam formosum, tam ingeniosum, tam sapiẽtem, tam opulentũ, & ad extremum tam præpotentem, ac tantum principem & ubiq; imperantẽ, constituerat, uoluptatem prębuit penè infinitã, quam ex omnibus creatarũ rerum generibus delibaret & caperet: Sed in uitiũ cadentem, quia præposuit ei uirtutẽ, quæ cum uoluptate semper, tanquam cum domestico hoste pugnaret: Nam singulis sensibus uisus, auditus, odoratus, gustus, & tactus, certiores ac uehemẽtiores & plures ab hominibus, quàm à cæteris animalibus uoluptates & delectatiões capiuntur: quod in Venereis paulò manifestius apparet: Ceu Lactantius in septimo institutionũ aduersus gentes, his uerbis innuere uidetũ: Cũ excogitaret Deus duorum sexuũ rationem, attribuit his, ut sese inuicem appeterent, & cõiunctione gauderent.

derent. Itaq; ardentissimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiscuit, ut in hos affectus auidissime ruerent, eaq; ratione propagari & multiplicari genera possent. Quæ cupiditas et appetētia in homine uehemētior & acrior, quàm in cæteris animalibus inuenit: uel quia hominū multitudinē uoluit esse maiorē: uel quia uirtutē soli homini dedit, ut esset laus & gloria in coërcendis uoluptatibus & abstinentia sui, & reliq. Quibusdam deinde sanctis hominibus data fuit cœlitus potestas, ut plura miracula facerent, pluresq; defunctos ab ipsa morte ad ueram & certam uitam, mirabile dictu, suscitarēt: Ceu de Moyse, Helia, Heliseo, Daniele, pluribusq; alijs ueteris testamenti prophetis: ac etiam Petro, Paulo, Ioanne, reliquisq; apostolis: Stephano, Laurentio, Geruasio, & Prothasio, multisq; alijs martyribus, ab idoneis autoribus scriptū legisse meminim9. Omnibus insuper sacerdotibus cōcessum est, ut nō modo per baptismū quibusdā suis formalibus uerbis peccatum originale,

quo omnes homines infecti oriũtur, sed cętera quoq; humana delicta, facinora ac flagitia per indulgentiã & ueniam dimittere delereq; ualerẽt: Ac præterea sacratissimum Christi corpus cõficere & consecrare uel maxime possent. Episcopos aliosq; Romanę ecclesię prelatos & summos pontifices omittamus, quibus certa quædam ac mirabilia damnandorũ ac saluandorũ hominũ priuilegia ab omnipotenti Deo indulta & exhibita fuisse legimus. Hæc omnia superius à nobis cõmemorata poëtæ, philosophi, ac theologi & cæteri omnes scriptores Græci pariter & Latini, ac Hebræi quoque, pluribus suorum librorum locis, planè & aperte & asserere & confirmare uidentur. Oudius nanque, ut sola eius autoritate ex poëtis contenti simus, ubi Deum mundum formasse, atque partes suas ab inuicem separasse contendit (etsi nos diuinitus creatum fuisse, non dubitemus) demum in productione hominis carmina hæc posuit:

Sanctius his animal mentisq; capacius altæ,

Deerat

Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus est homo.

Plato in Timæo Deum fabricatorẽ mundi cõstituit: quem ad utilitatem tantummodo hominum ab eo creatum & formatum esse uoluit. Moyses prophetarũ & omnium ueterum theologorum (pace aliorum dixerim) princeps & caput, postquam ab omnipotenti Deo cuncta quæque, homine duntaxat excepto, uel facta uel creata fuisse dixit: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris & uolatilibus cœli, & bestijs terræ, uniuersæq; creaturæ, omnibusq; reptilibus, quæ mouentur in terra. Quem quidem, uti prædixerat, tanquã unicũ cunctorum antea factorum dominum possessoremq; postea creauit, & benedixit & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli & uniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Paulus apostolus uas electionis & magister gentium ac nouorũ

theologorũ doctor, ueterumq́ explana tor, omnia quæcũq; facta sunt nostra esse cõfirmat: nam ad Corinthios scribens ita inquit: Omnia enim nostra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsen tia, siue futura, omnia enim nostra sunt: Vos aũt Christi, Christus uero Dei. quæ quidem uerba catholici explanatores no stri recte interpretari & declarare maxime cupientes, tanti fecisse uidentur, ut in hunc modũ ab inuicem distinxerint, quippe infima, æqualia et superiora hinc inde distinguentes: Infima ad utendum, æqualia ad conuiuendum, superiora ad fruendum, pulcherrime atq; optime interpretantur. Dauid denique hanc maximam & præstantissimam ipsius hominis dignitatem suprà quam dici potest admirans in octauo illo celebratissimo & uulgatissimo psalmo quasi Deũ percõtaretur, & paulo post sibiipsi sic interroganti responderet, carmina hæc ponit: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam uisitas eum? Minuisti eum

eũ paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & cõstituisti eum super opera manuũ tuarum: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersas, insuper & pecora cãpi: Volucres cœli & pisces maris, &c. Quorũ quidem uerborũ cõmemoratus Apostolus dum ad Hebręos scriberet meminisse legitur, quãdo in eo, inquit, quod omnia ei subiecit, nihil prætermiserit, quod humanæ potestati largiri noluerit: cum paulò superius ad maximam quandam humani generis dignitatem uniuersum terrarũ orbem nõ angelis quos in admirabili quadam excellentia constituerat, sed hominibus duntaxat subiecisse ac tribuisse testatur. Atq; hæc omnia quæ prædicta sunt, dum in hac uita mortali peregrinat̃, à domino quasi inuitus repugnansq́; consequitur: perpetuam præterea felicitatem, sempiternamq́; post corporeã mortem beatitudinem ei, ut diximus, tot tantisq́; muneribus mirabiliter constituto & ornato, ferre ac promittere & largiri insuper, modò non repugnaret, concupiuit

& uoluit: atque ut ſibi recte admonenti crederet, multifariam & apprime exhortatus eſt. Ante omnia nanq; duobus primis hominibus, quos in maiori quadam dignitate ceu iuſtitia originali, ut theologico uerbo utamur, prædictos quàm cæteros omnes poſt deteſtandam illam eorum tranſgreſſionem in peccato originali conceptos, conſtituerat, præter illa naturalia intelligendi, memorandi, ac uolendi dona, expreſſam quandam ueri boni cognitionem ipſorum mentibus impreſſerat. Et ne ſua mandata tranſgrederentur, non modo proprijs ſuaſionibus admonuit, ſed terribiles quoq; metus mortis que terrores adiecit, ut eos à malis facinoribus uehementius deterreret. At uero nec ſuaſionibus nec minis, neq; terroribus profeciſſe uidetur: nam dum ipſi diabolicis laqueis irretiti labuntur in præceps, nimirū ſeſe genusq; humanum ab illis propagãdum perpetuò damnauerūt. Poſteri autem qui poſt plura ſecula primis illis parentibus ſucceſſerunt, deterioribus peccandi conditionibus

bus deprauati, ſuis malis facinoribus ſce
leſtis que flagitijs ſeſe ita inquinauerũt,
ut Deum ad generalem quandã huma=
ni generis punitionem prouocarent: ex
quo uniuerſum terrarum orbem ab illo
generali & admirabili diluuio inunda=
tum fuiſſe cõſtat: ubi cuncta uiuentia, pi
ſcibus duntaxat reptilibusq; exceptis, a=
quis ſubmerſa interierũt, niſi ea ſola, quę
in arca illa famoſiſſima à Noë iuſto con=
ſolatore, quemadmodum eius nomẽ ex
hebræa in latinam linguam conuerſum,
ceu in ſecundo huius operis libro dixiſ=
ſe meminimus, ſignificare uidetur, diui=
nitus fabrefacta incolumia remanſerũt:
ex quibus cuncta quæque diuerſorum
animalium genera nouam quandam ori
ginem traxiſſe non dubitamus. Abrahæ
deinde temporibus eadẽ monita perui=
ciſſitudinarios angelos eouſq; ſubſecu=
ta ſunt, quoad Deus Moyſi diuinam le=
gem per duas illas celeberrimas decanta
tasq; tabulas largiretur. In qua quidem
lege quibuſcunq; præuaricatoribus ſuis

plura maledictionum & execrationũ genera imprecatus est: Seruatoribus uero omnes benedictionum & indulgentiarum species promittere atq; offerre decreuit et uoluit. Cum aliquot deinde annorum milia intercessissent, diuina illa & antiqua pręcepta uilescere cœperũt: Vnde ne totum genus humanũ suis iniquis operationibus meritò damnaret, appropinquãte temporis plenitudine, quemadmodum ait Apostolus, misit Deus filium suum humani generis redemptorem, ut eadẽ ueteris legis præcepta renouaret, renouataq; multo clarius & apertius explicaret, atq; temporales illas contemptorũ & spretorũ mandatorũ punitiones, per diuersas detestationes in perpetuas tartari pœnas, & uersa uice, priscam lactis mellisq; dulcedinẽ, in dignissima quædam uirtutum præmia, hoc est in æternũ cœlorũ regnum, cõuerteret. Per tot igitur modos, præter naturales quasdam & gratuitas humani generis conditiones, ipsum in tot tantisq; dignitatibus constitutum, felix ac beatum, dummodo

uellet

uellet,ut diximus,efficere concupiuit & uoluit. Quod ut facilius ordinare & asse qui ac parare posset,singulis hominibus singulos angelos ab initio natiuitatis at= tribuit, ut eos, quasi pædagogi forent,à malis facinoribus sceleſtisq; flagitijs cu= ſtodirẽt.In quo quidem Deus toti gene= ri humano ita fecisse itaq; indulsisse uide tur,quemadmodũ diligentes patres pue ris et adultis filijs facere et indulgere cõ= ſueuerũt: quibus in puerili & adulta æta te cõſtitutis,non ſolum literarum & pri= morum elemẽtorum magiſtros,ſed mo= rum etiã doctores,quaſi cõtinuos quoſ= dam comites cuſtodésque largiri & aſſi= gnare ſolent, quos græco uerbo pæda= gogos, hoc eſt, ut latine interpretemur, quaſi puerorum ductores, appellarunt. Hanc de ſingulis angelis perpetuis ſin= gulorum hominum cuſtodibus,nõ mo= do catholicã ſentẽtiam ex accurata qua= dam ſacrarum ſcripturarũ lectione, ſed ex quibuſdam etiam gentilibus & ethni cis autoribus certam & ueram eſſe non dubitamus. Nam & priſcæ hiſtoriæ,ſan

Suus cuiq; homini angelus.

ctorum uirorũ autoritatibus prætermiſsis, Pyrrhi Epirotarũ regis bello Curiũ, Fabritium, Corũcanum: primo Punico Calatinũ, Duellium, Metellum, Luctatium: Secundo, Maximum, Marcellum, Africanũ: post hos Paulum, Gracchũ, Catonem, Scipionem, Læliũ, multosq́ præterea Græcos & Latinos prȩstantiſsimos & excellentiſsimos uiros extitiſſe testantur: quorũ neminẽ, niſi iuuãte Deo, ut ait Cicero, hoc est fauẽte angelo ſuaſore & impulſore, talem fuiſſe credendũ est. Poëtæ quoq; eorum poëmata fingentes hoc idem ſuis carminibus fabulant̃: quæ enim alia ratio poëtas maxime Homerũ impulit, ut principibus heroũ, Vlixi, Diomedi, Agamẽnoni, Achilli, cæteros deos quaſi diuinos miniſtros, quos nos iampridẽ paulò euidentius angelos nũcupare & appellare conſueuimus, diſcriminum & periculorũ adiutores comitesq́ adiungerẽt? Philoſophi inſuper id ipſum aſſerere & confirmare uidentur: Quando Socrates oraculo Apollinis ſapientiſſimus cæterorũ omniũ iudicatus,
dæmonem

dæmonem quendã sibi in custodiam da
um, cuius cõsilio in rebus serijs & graui
bus uteretᷣ, coram omnibus prædicabat:
seu ex pluribus Platonis libris & dialo-
gis, atq; ex celebrato illo prædicti Apu-
leij Madaurensis opusculo, cuius titulus
est De deo Socratis, planè & aperte de-
prehendimus. Cum igitur deus homi-
nem ipsum talem esse constituerit, qualẽ
suprà breuius quoad fieri potuit uerbis
designare ac figuris depingere ualuimꝰ:
atq; illum pulchritudine, ingenio, sapien
tia, diuitijs & opibus, potentatibus insu-
per & imperijs, pluribusq; alijs admira-
bilibus priuilegijs, uel maxime ornaue-
rit: quod deinde et quale ei cœlesti & di-
uino animali atque ita mirabiliter consti
tuto officium exhibuerit, parumper con
sideremus. Postquam ergo Deus in con
stitutione mundi cuncta prius effecerat,
postremo hominem creauit: hunc He-
braice Adam appellamus: quod nomen
primæuo illi nostro parenti propterea
non immeritò attributum fuisse accepi-
mus, quoniam uerus & dignus homo à

Deo diuinitus factus erat. Vnde uetus
illius sacri idiomatis consuetudo Adam
primum, ad certam quãdam aliorum ho
minum differentiam nuncupat & appel
lat, cuius gratia omnia paulò ante consti
tuerat, atq; pręcepit, ut illis omnibus an-
tea creatis dominaretur, atq; ad utilitatẽ
quemadmodũ uellet, suam uteret̃. Pro-
inde ut magna & recta & admirabilis es
uis & ratio & potestas hominis, propter
quem mundum ipsum & omnia quæ in
mundo sunt creata fuisse ostendimus: sic
pariter rectum & simplex atq; unicũ offi
cium suum tale esse existimamus & cre-
dimus, ut mundum eius causa factum, ac
præsertim cũcta quæ in hoc uniuerso ter
rarum orbe constituta uidemus, guber-
nare et administrare cognoscat et ualeat.
Quod nequaquam nisi cum agẽdo tum
intelligendo penitus perficere, & omni-
no adimplere poterit. Itaq; non iniuria,
agere & intelligere proprium ipsius ho-
minis officium fore dicemus: atque ita
proprium eius esse existimamus & cre-
dimus, ut intelligere & agere, quàm ride
re quod

Officiũ hominis proprium.

re,quod antiqui et noſtri temporis philo ſophi, ut ſuis uerbis declarandi & explicandi gratia utamur, proprie proprium appellare conſueuerunt,magis humanę naturę cōueniat:nam cum utrūq; omnibus hominibus pariter competere minime ambigamus,homines tamē ſine riſu officium ſuum recte & probe admini ſtrare & exercere poſſe, atq; homines re manere cognouimus:Quod abſq; intellectu nequaquā efficere & adimplere ualerent,hominesq́; eſſe deſinerent,quorū ſolum officiū intelligere, ſentimus [illegible] cimus. Etſi hoc intelligendi & agē[illegible] nus quod homini ab omnipotenti Deo tributum uidemus & ſcimus,alijs utpote angelis & creatori, & nō ridendi exer citium cōuenire uideatˀ: in hoc certe homo melioris qualitatis & conditionis habetˀ & creditˀ, ut in proprio eius officio unà cum angelicis ſpiritibus et cum ipſo deo cōmunicauerit: Quoniā aliter, hoc eſt ſine operatione & intellectione,mun do eius cauſa facto ipſum nequaquā uti poſſe intelligimus. Nullum quoq; aliud

animal præter hominẽ ſolum per ſuã na turam operationis & intellectionis parti ceps fieri potuiſſe nouimus. Quod Cice ronẽ in ſecũdo De finibus bonorũ et ma lorum, dum cõtra Epicureos diſputaret, his uerbis & in hũc modum declarare & explicare cõperimus. ſic enim inquit: Hi nõ uiderũt, ut ad currendũ equũ, ad aran dum bouẽ, ad indagãdum canem, ſic ho minẽ ad duas res, ut ait Ariſtot. ad intelli gendum & ad agendũ eſſe natum, quaſi quendã mortalem Deũ. Et philoſophus ipſe cũ in primo Ethicorũ, de pro p quodã hominis opere & officio in-ueſtigaret, abſurdũ fore putauit, ut fabri & ſutoris ac cũctorum aliorũ opificũ, & omniũ inſuр humanorũ membrorũ, ut oculi, manus & pedis & cæterorũ pro-priũ aliquod opus & officiũ eſſet, homi-ni uero nullũ ſingulare peculiareq́ exer citium, utpote ocioſo & ad nihil agendũ nato, tribueretur. Atq́ eam quã Cicero eleganter terminauit ſententiã, ita defini uit, ut homo, ſcilicet ad agendum & ad intelligendũ, tanquam quidam mortalis

deus

deus nasceret. Quod si recte decenterq́ꝫ faceret, quemadmodum fieri oporteret, profectò Deum per ea quæ facta sunt uisibilia cognosceret, eumq́ꝫ cognitum adamaret, uenerareт & obseruaret: id enim proprium solius hominis officium esse creditur, in eóque solo summa rerum & omnis beatæ uitæ ratio cõsistit: Quando quidem propterea facti & constituti ab eo sumus, ut non cœlum uideremus & solem, quod Anaxagoras putauit, sed ut artificem solis & cœli Deum pura & integra mente coleremus. Deus namq́ꝫ uoluit ut cœlum spectaremus, non utiq́ꝫ frustra, quippe aues et ex mutis penè omnia cœlum uidere & suspicere possunt. Sed nobis proprie datum est rigidis ac stantibus intueri, ut religionẽ ibi quæramus, & Deum quibus illa sedes est, quoniam oculis non possumus, animo contemplemur. Naturam enim hominis Deus hãc esse uoluit, ut duarum rerum cupidus et appetens esset: religionis & sapientiæ, quoniã in his duobus inseparabiliter cõnexis officium hominis et ueritas omnis

inclusa est. Itaque omnipotens dominus ei in tanta ac tam sublimi dignitate constituto, suapte natura indidit, ut seipsum cõseruandi sui causa diligeret: cæterum uero per certa quædam & expressa scriptæ legis mandata iniunxit, quatenus omnes proximos, hoc est, omnes homines honorarent & obseruarent: Atq; ut hoc diligendi sui officium libentius atq; constantius exequerentur, adimplerent ac perficerẽt, singulis quibusq; huius diuini opificij dilectoribus & conseruatoribus, sese pro digna quadam mutuæ dilectionis mercede æternum cœlorum regnum daturũ plane & aperte pollicitus est: Cæteris autem illius sui operis osoribus, & tanti ædificij quomodocunq; destructoribus & dedecoratoribus, perpetuas inferorum pœnas seipsum exhibiturum pluribus horrendis & terribilibus cõminationibus & nonnullis etiam execrandis detestationibus, pro cõueniente pessimi facinoris sui præmio, claro quodam & aperto sermone significauit. Cũ ergo hoc Deus, homini mirum in modum

dum, ut diximus, cõstituto, dignũ quodam agendi & intelligendi atq; administrandi & imperandi ac dominandi officium tribuerit, deinceps cur eum fecerit in calce huius tertij libri paucis explicabimus. Est autem uerisimile, quinimò & decens & uerum, cum ratio corporis recta sit, quod est tẽporale, ipsum uero animum, qui sit æternus, rectiorem esse debere: cũ figura & status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eò spectare oportere quô uultum, & animũ tam rectum esse conuenire, quàm corpus: ut id cui dominari debet imitetur & superet. Etenim satis homini esse uidetur, si Deũ et eius diuina opera intelligat, cuius quidem intelligentiæ uis & summa hæc est: Vt suspiciat communem parẽtem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem. Quod quidẽ Lactantius in libro de ira Dei maxime asserere & confirmare uidetur, cuius uerba hæc sunt: Sicut mundũ propter hominẽ machinatus est Deus, ita ipsum propter se tanquam diuini templi antistitem, spectatorem ope

Statura hominis recta quid significet.

rum rerumq́ cęlestiũ: solus est enim qui sentiẽs capaxq́ rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, uirtutem potestatẽq́ perspicere: idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, ut ad contemplationem parentis sui excitatus esse uideatur. Ideo sermonem solus accepit ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare maiestatem domini posset. Postremo idcirco cuncta ei subiecta sunt, ut factori atque artifici Deo esset ipse subiectus. Si ergo Deus hominem suum uoluit esse cultorem, ideoq́ illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur: Vtiq; iustissimum est ipsum & Deum uidelicet eum qui tanta præstiterit, amare, & hominem etiam, qui sit nobiscum diuini iuris societate cõiunctus: Nec enim fas est cultorẽ Dei à Dei cultore uiolari. Vnde intelligitur religionis atq; iustitiæ causa esse hominem figuratum, cuius rei testis est M. Tullius in libris de legibus, ita dicẽs: Omnium quæ

in docto-

in doctorum hominũ disputatione uersantur, nihil est profectò præstabilius, quàm planè intelligere nos ad iustitiam esse natos. Quod si est uerissimũ, Deus uult ergo omnes homines esse iustos, id est Deum & homines charos habere: Deum scilicet honorare tanquam patrẽ, hominem diligere uelut fratrẽ: in his enim duobus tota hominis iustitia consistit. Qui ergo aut Deum non cognoscit, aut homini nocet, iniuste & cõtra naturam uiuit, & hoc modo corrumpit institutum legemq́ diuinam. Et in septimo diuinarum institutionum ita inquit: Eorum omnium summa hæc, ut Deum colat: is enim colit qui hæc intelligit. Is artificem rerum omniũ, is uere patrem suum debita ueneratione prosequitur, qui uirtutes maiestatis eius de suorũ operũ inuentione, inceptione, perfectione, metit̃. Cæterũ Augustinus rectius quàm Lactant. sensisse, & grauius ac uerius cõsiderasse uidet̃. Quippe Deum ob immensam eius bonitatem nõ sua utilitate (scriptũ est eñ, quoniã bonorũ nostrorũ nõ eget) sed potius hominis causa

hominē fecisse putat. Nam, inquit, quia bonus est Deus summus, & reliq. Omittamus Platonicos, q homines factos esse senserūt, ut hunc terrarum orbem incolerent. Missos faciamus pariter Stoicos, qui homines ad usum hominū natos fuisse dixerunt. Peripateticos deniq; ac reliquos cæterarū sectarū philosophos tanquam nocturnos quosdā obscuræ & abstrusæ ueritatis indagatores prætermittamus: & ad catholicos doctores nostros, tanquam in unicū ac tranquillum & securum ueræ & expressæ salutis portum, magna iactati tempestate, confugientes redeamus. Fecit igitur deus hominem, ut per quandam admirabilium operum suorū intelligentiā, certamq; cognitionē eorū opificem recognosceret & coleret. Quod diuinarum sentētiarum magister his uerbis planè & apertè approbare & confirmare uidetur. sic enim inquit: Fecit Deus hominem ut eum cognosceret, & cognoscendo amaret, & amādo possideret, & possidendo deniq; frueret. Itaq; dum est in hac uita mortali mundum ei
ipsi

ipsi habitaculum dedit. Vt enim domus unius hominis habitaculũ est, & ut urbs unius populi, sic mundus pariter domicilium totius generis humani existimatur & creditur: Et postq̃ defunctus est, pio & iusto homini, hoc est qui legitime uixerit, sempiternam cœlorũ sedem constituit. Proinde & homo uiuens mũdi incola fit, & pie moriens cœli possessor efficitur, ac per hunc modum & in hac pręsenti & in futura uita semper et omni quidem tempore felix beatusq; habetur. Ex hac igitur tãta ac tam sublimi hominis dignitate & excellentia, uelut ab ipsa radice, inuidia, indignatio, dominãdi libido, & ambitio, atq; cæteræ huiusmodi animi perturbationes, nõ iniuria oriunť & profluunt: nam qui sese ita dignũ factũ fuisse cõsiderat, ut cũctis rebus creatis præesse ac dominari uideatur, profectò non modo ab alijs superari non patieť, quod est inuidiæ, sed potius cæteros excellere uel maxime concupiscet, quod superbię & ambitionis proprium uitium existimatur & creditur. At si fortè cõtigerit ut ali

quando ſpernatur, negligat̃ & cõtemna
tur,uſq; adeò indignat̃, ut cõtemptores
ſuos,non ſecus q̃ capitales & acerrimos
hoſtes ac proprios quoſdam excellentia
rum ſuarũ uiolatores & detractores,eni
xe uſq; ad necem perſequat̃.Quod ego
etiam atq; etiam conſiderans, atq; homi
nẽ nouiter deſcribere & definire uolẽs,
ipſum animal indignabundũ,mea quidẽ
ſententia,nõ iniuria explicaui.Quapro-
pter ut partes huius tertij libri uarie hinc
inde diſperſas,tandem aliquando,epilo-
gi gratia,in unum cõcludamus. Si Deus
mundũ & cũcta quæ in eo ſunt hoĩs gra-
tia fabricat⁹ eſt: Si humanũ quoq; genus
omnibus rebus dominari & impare uo-
luit:Si ipſum inſup decore, ingenio,ſapi
entia,opibus,& diuitijs,regnis præterea
& potẽtatib⁹ ornauit: Si pluribus deniq;
& admirabilibus cũ generalibus tum ſin
gularibus et pręcipuis priuilegijs inſigni
uit: ꝑfectò decere & cõuenire uidebat̃,
ne is quẽ in tanto & tam excellenti digni
tatis gradu collocauerat,et cuius occaſio
ne cũcta quæq; machinatus erat,in ꝑpe-
tuum

tuũ damnaret: Idcirco quanq; protoplastus ille noster diuina mãdata trãsgrederetur, ac p hoc ipse & omnes eius posteri æternã damnationis pœnã mererent, ut ex inde redimerent, filiũ suum humanam, quãdo aliter fieri nõ poterat, carnẽ suscipe, atq; ignominiosã execrandi patibuli mortẽ subire cõstituit. Cæterũ si primi nostri parentes nequaq; peccassent, Christus nihilomin9 è cœlis in terras descendisset, nõ ut humanũ genus redimeret, q̊d quidẽ à peccati labe & à reatu immune extitisset, nisi cõmemorati patres nostri diuina mãdata temere nimis & insulse admodũ cõtempsissent: sed utiq; in mundũ uenisset, ut hoiem p hãc humilẽ humanæ carnis susceptionem mirabiliter & incredibiliter honoraret, glorificaretq;: quemadmodũ plurimi doctissimi simul atq; sanctissimi uiri pluribus rationibus adiuti, & singulari religione et pręcipua deuotione præditi, pie admodum crediderũt: Nihil eñ aliud quicq; ei naturæ, quam tam pulchrã, tam ingeniosam & tam sapiẽtem ac tam opulentam, tam

dignam et tam potentem, poſtremo tam felicem & tam beatam cõſtituerat, ad totam & undiq; abſolutam perfectionem ſuam deeſſe putabatur, niſi ut ea per admixtionem cum ipſa diuinitate, non ſolum cõiuncta in illa Chriſti perſona cum diuina, ſed etiã ut cum diuina natura una & ſola efficeret, ac per hunc modũ unica facta fuiſſe uideretur. Quod neq; angelis neq; ulli aliæ creaturæ, niſi homini duntaxat, ad admirabilem quandam humanæ naturæ dignitatem, & ad incredibilem quoque eius ipſius excellentiam, datũ, conceſſum & attributũ eſſe nouimus.

LIBRI TERTII FINIS.

IANOCII DE MANECTIS, EQVITIS AC IVRECŌSVLTI Florentini, de dignitate & excellentia hominis liber IIII.



ACTENVS cūcta quæ ad singularē quādam & præcipuam dignitatem & excellentiam hominis uel maxime spectare & pertinere uidebantur, quantū paruula ingenij nostri facultas permittere operariue poterat, tribus pręcedētibus libris sparsim ac diffuse claro quodā & aperto sermone cōgessimus. Itaq; opportunū quoddam & accommodatum uenisse & occurrisse tempus non iniuria existimamus, ut ultimas huic operi manus imponeremus, quod profectò iam fecissemus, nisi nostra interesse putaremus, ut ea refelleremus quę à pluribus priscis nouellisq; autoribus uel de laudatione & bono mortis, uel de miseria humanæ uitæ scripta fuisse intelligebamus: quoniā ea illis à nobis antea tractatis aliquatenus repugnare animaduertebamus. Sed in hac nostra

prædictarum ueluti friuolarum ac falsarum opinionũ cõfutatione, ordine quodam uti cõstituimus, ut res ipsa grauius seueriusq; tractetur. Primo nanq; ad ea quæ de fragilitate humani corporis: Ad illa deinde quæ de ignobilitate animæ: Postremo ad ea quę de tota hominis persona obijciebant, quantũ rerum tractandarum natura ac materiæ, de qua agitur, conditiones & qualitates permittere & pati uidebant, breuiter respondebimus. A corpore igitur incipiẽtes, multos graues & doctos uiros fuisse dicimus, qui humanũ corpus suapte natura nudum & inerme, ita fragile, ita imbecillum, ita caducũ esse putabant, ut frigora, æstus, labores, famẽ, sitim, & cæteras huiusmodi corporis molestias sine aperta quadã & manifesta lęsione pati & tolerare non posset. At si forte quieti ocióue se dederit, in ipso rursus situ ac tabo liquescere, labascere ac marcescere asseuerabant. Ea insuper quibus uel maxime oblectabatur, & sine quibus uiuere nõ poterat, plerunq;

plerunque ſibi moleſta ac mortifera fo=
re, aiebant. Nam ingentem & repenti=
num ſonitum, nimiam intuitionem, te=
trum odorem, amarum ſaporem, & aſpe
ram contactionẽ, magnam quandam ea
rum partium laſſitudinem inducere cre
debant. Vigilia præterea & ſomnus, ci=
bus & potus, ut ipſi arbitrabantur, quan
doq; letifera efficiebantur. Aquarũ de=
nique nouitatibus, uinorumq; mutatio=
nibus, uentorum flatibus & tenuiſſimis
cauſis atque leuiuſculis læſionibus mor=
bidorum ſua ſemper natura dignoſceba
tur. Quoniam ipſum ex infimis fluidiſ'
que contextum atque conſtructum fuiſ=
ſe conſtabat: quemadmodum per plu=
ra manifeſta experimenta & euidentia
quoque exempla planè & aperte depre
hendimus. Et Ariſtoteles etiam & Sene
ca, Cicero & Plinius, multiq; alij Græci
& Latini, ſacri ac prophani ſcriptores, ne
de omnibus particularem quandã men=
tionem faciamus, pluribus librorũ ſuo=
rum locis hoc idem aſſerere et cõfirmare

conantur. Nam & Aristoteles in Ethicorum libris quodam loco uerba hæc ponit: Videre, audire, ut naturales testant sermones, laboriosa sunt. Et Cicero in Tusculanis quæstionib. ita inquit: Cũq; natura corpora nobis infirma dedisset, hisq; intolerabiles dolores et morbos insanabiles adiecisset, animos quoque dedit & corporum doloribus cõgruentes, & separatim suis molestijs & angoribus implicatos. Quantis enim morborũ generibus corpora nostra à capite usque ad pedes pullulare & redundare uideantur, difficile dictu foret. Vnde primo sua pte natura imbecilla existentia, & postea per aliquam ægritudinis speciem debiliora effecta, ad celerem interitum labuntur & currunt: Quinimò, ut expressius dixerim, ad quotidianam quãdam & repentinam ruinam instar auium uolitare & corruere comperiuntur. Proinde humanam uitam breuem & quodammodo momentaneam fieri manifestũ est. Et Seneca pluribus scriptorum suorum locis, & maxime in cõsolatione ad Elbiam matrem,

trem, hãc noſtri corporis imbecillitatem multum admodum lamentatur. Plinius in ſuo Naturalis hiſtoriæ uolumine inter cætera de hac humani corporis debilitate apprime conqueſtus, propterea naturam potius nouercam, quàm matrem nobis extitiſſe ſcribit. Iob inſuper domum iſtam noſtram, & hoc habitaculum tuguriumq́ terreſtre, id eſt, ex terra madefacta & ex luto & limo compactũ & conſtitutum, fuiſſe tradit. Quod Innocẽtius tertius ſummus pontifex in eo libro cuius titulus eſt, De miſeria humanæ uitæ, augere & amplificare uolens, de uilitate utriuſque materiæ, & illius ex qua Adæ corpus, & alterius etiam ex qua cæterorum hominũ corpora confecta fuiſſe ſcimus, multa & dicit & ſentit: ſiquidẽ primi hominis corpus de limo terrę diuinitus factum eſſe confirmans, planetas & ſtellas ex igne, flatus & uentos ex aëre, piſces & uolucres ex aqua, hominem & iumenta de terra, ab omnipotẽti Deo fabricata fuiſſe probat: cætera uero aliorũ hominũ corpora ex humanis ſeminibus

ac ſpermatibus concepta, & poſtea nata in lucem prodijſſe aſſeuerat. Ex quibus tanto uiliorem & ignobiliorē primi hominis materiam, quàm aliorum quorum cunque animatorum extitiſſe cōcludit, quanto terreſtre elementū cæteris omnibus uilius & ignobilius reperitur. Et reliqua quoq; hominū corpora eandē cum mutis animalibus naſcendi cōditionem ſortita eſſe refertur, niſi fortè poſtquam concepta ſunt embriones duntaxat, hoc eſt imperfecti ſolorum hominum fœtus, in materno utero ex ſanguine menſtruo educarentur & nutrirentur: quod ipſe quodā prædicti operis ſui loco planè innuiſſe & aperte ſenſiſſe uidetur: quando quidem hoc ſolum poſt ſuam conceptionem, hominum & non aliorum animalium corporibus obieciſſe legimus. Ac his ipſis plura alia huiuſmodi dedecoris ac uituperationis & ignominiæ plena atque referta ſubiungit: quæ, ne longiores ſimus, breuitatis gratia prætermittimus. Hęc igitˀ ſunt quę à pleriſq; idoneis autoribus de imbecillitate uel potius de

fragilitate

fragilitate humani corporis disputari, & in medium adduci consueuerunt. Nunc uero ad ea quę de ignobilitate animę disseri ac tractari solēt parūper accedamus. In secūdo huius operis libro, ubi uarias de conditionibus & qualitatibus animæ diuersorum autorum opiniones recitauimus, inter cætera philosophos quosdam fuisse diximus, qui humanam animā aliquid corporeū esse opinabantur, ut Thales, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes, Leucippus, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Hippias, Archelaus, Zeno, Aristoxenus, Varro, & si qui alij fuerūt. Nec defuerūt etiā qui eam nihil omnino esse uoluerunt, ut Dicæarchus, qui propterea quod animā nihil esse imaginabatur, id nomen irritū & inane, frustraq; animantes & animalia appellari asseuerabat. Pleriq; insuper astiterunt, qui etsi ipsam quicquā corporeū abnegarent, de potentia tamen materiæ & extra duce, ut theologico uerbo iterū utamur, educi censebāt. Atq; hi omnes animos humanos unà cum suis corpori

bus interire exiſtimabant, nec ſolum hi qui animos aliquid corporeum eſſe forẽ que credebãt, ſed etiam quidam alij, qui eos ſpiritus arbitrabantur, mori ſimul cũ ꝓprijs corporibus putabant: quales Epi cureos extitiſſe nouimus, & quicunque eos ſecuti ſunt, animos nõ aliter ſuis qui buſdam perturbationibus uexari quàm corpora, ac pluribus morborum gene= ribus implicari aiebant. Nam quemad= modum in humanis corporibus multas ægritudinũ ſpecies, hemicraneam, oph= thalmiã, polypũ, lienteriã, chiragras, po dagras, lateris dolores, ſtrangurias, tor= mina, febres, & cætera huiuſmodi, inter aſſiſtendum quandoq; acriter uexare, & ad extremum in manifeſtum quendam & certum interitum ducere uidebãt: ita pariter in animis uaria diuerſarũ pertur= bationum genera aſſiſtere arguebant, à quibus ipſi plerunque in contrarias par tes diſtrahebantur, ac per hunc modum interibant: quales ſub ægritudine ęmula tionem, obtrectationem, miſericordiam, angorem, luctũ, mœrorem, ærumnã, do lorem,

Variæ ani morum pe ſtes.

lorem, lamentationem, ſolicitudinē, moleſtiam, afflictionem, deſperationē, conſtituebāt. Sub metu uero, pigritiam, pudorem, terrorem, timorem, pauorē, exanimationem, conturbationem, formidinem, reponebant. Sub lætitia autem, maleuolentiam, delectationem, iactationē collocabant. At ſub cupiditate, excandeſcentiam, iram, odium, inimicitiā, diſcordiam, indigentiam, deſiderium, & reliq. ordinabant. Quæ quidem omnia & cætera huiuſmodi perturbationum genera Cicero quodam ſcriptorum ſuorum loco egregie elegāterq; cōplexus eſt. Qui uero animos hominum immortales fore autumabāt, omnes uarijs perturbationibus dum in corporibus uiuerent, cōmoueri & cōquaſſari arbitrabantur: Quando uero duarū illarum ab inuicem & inter ſe diuerſarum naturarum coniunctio per ſeparationem diſſoluebatur, partim in diuerſa uiuētium brutorū corpora, ut ea tempeſtate caſus ferebat, ingredi iudicabant: ac ſic eouſque uiuere putabant, quoad marceſcente primo illo corporeo

instrumento in aliud quoddã intrare co=
gerẽtur. Ac per hunc modum ob uaria
ac pené infinita brutorũ corpora, secun=
dum hanc opinionẽ, perpetua & æterna
animorũ uita seruabatᷣ. Cuius quidẽ opi=
nionis Pythagoras Samius autor fuisse
perhibetᷣ, qui à Pherecide Syro eius ma
gistro primo ex naturalibus immortali=
tatis repertore, animã immortalẽ esse ac=
cipiens, atq; hoc quonam modo sine cor
poribus euenire fieriue posset intellige=
re nõ ualens, huiusmodi circularẽ, ut ita
dixerim, reuolutionẽ excogitauit atq; ad
inuenit. Proinde homines ex constitutio
nibus suis brutorũ animaliũ carnibus ue
sci prohibebat, ne forte defunctorũ ami
corum & domesticorum animę per hu=
manas eorũ corporũ comestiones exin=
de expellerentur, atq; aliò transmigrare
cogerentᷣ. Partim uero eas per centũ an=
nos, ut inquit poëta: Centũ erant annos,
& reliqua. hoc est per multa temporum
curricula, siue ꝑ aërem istum crassum &
caliginosum, siue per purũ æthera uagas
& errabundas uolitare aiebat, donec uel
ad tar=

ad tartara laberentur, uel ad cœlum, secundum diuersas anteactæ uitæ conditiones euolarent. Quapropter siue mortales siue immortales essent animę, iuxta cõmemoratas prædictorum philosophorum de ipsarum qualitatibus & conditionibus sententias, eas tales esse nõ iniuria cõcludi uidebatur, ut siue in corporibus assistentes suis naturalibus perturbationibus uexarentur, siue post mortem unà cum illis euanescerent: at si remanerent, certe uel in alienis corporibus habitarẽt, uel per aëra uel per æthera uolitarẽt, uel apud inferos morarentur: Itaq; quocũq; modo fiebat, ut ubicũq; existerent, apprime torquerentur. Atq; hæc sunt quæ de indignitate humanæ animæ in præsentiarum retulisse sufficiat. Deinceps ad ea breuiter procedamus quæ de tota hominis persona, atq; de humana uita, à nonnullis idoneis autorib. ignominię, uituperatiõis & detestatiõis causa referebantur. Si igit̃, dicet quispiã, duo illa ex quibus hominẽ cõpositum ac confectũ esse cõstat, talia sunt qualia suprà ostẽdisse &

demonstrasse uidetur, quis iure ambige re, dubitaréue poterit, quin illud quod ex eorum cõpositione resultat, cõponen tium naturam redoleat, sapiat atque reti neat: Proinde hominẽ fragilem, caducũ & ignobilem, & multis ac penè infinitis morborum & perturbationũ generibus subiectũ & implicatũ, singulis quibusque naturã & cõditiones paulò diligẽtius & accuratius cõsiderantibus planè & aper te apparebit. Quocirca plerique ueteres doctissimi simulatque sapiẽtissimi uiri, hæc & cætera huiusmodi corporis & animæ incommoda atque humanæ uitæ mala, se-cum ipsi animaduertentes & sæpenume ro reputantes & recognoscentes, pluri-bus librorum suorũ locis de talibus ho-minum qualitatibus apprime conquesti ac lamentati fuisse comperiũtur. Nam &
Val. Max. lib. 8 ca. 9. Hegesias quidam Cyrenaicus philoso-phus de pluribus humanæ uitæ incõmo dis, priscis quondã tẽporibus sic copiose & eleganter disputabat, ut is à Ptolemęo Aegyptiorum rege prohibitus esse dica tur illa in scholis dicere, quoniam multi
bis

his auditis mortem sibijpsi consciscerent. Vnde cũ uiua, ut aiunt, uoce, regia prohibitione impeditus, differere & disputare non posset, demum sese continere nequiuit, cum ea literis mãdaret, de quibus loqui uetebatur: ac per hunc modum egregium dialogum composuit, ubi quidam inducebatur, qui à uita per tædium discedens ab amicis reuocabat̃: Quibus ille respondẽs, uaria humanæ uitæ enumerabat incõmoda. Crantor quoq; in cõsolatione, nescio qua, hoc idem planè et aperte confirmabat, ubi inter cætera, ut refert Cicero, Thermaneũ quẽdam Eleusium mortẽ filij grauiter mœrentẽ facit: proinde in Psychomantium ad Apollinis oraculũ accessisse sciscitaturus, quænam extitisset tantæ calamitatis causa. Ei sic interroganti, in tabellis tres huiusmodi uersiculos datos fuisse scribit:

Ignaris homines in uita mentibus errant.
Euchinous potitur munere læto:
Sic fuit utilius finiri ipsiq; tibiq;.

Alcidamus insuper rethor antiquus &, ut ait Cicero, in primis nobilis, laudatio-

nem mortis scripsisse perhibetur, quę ex enumeratione humanorum malorũ maxime consistere et cõstare uidebatur. M. Tullius præterea in præclaro illo & celebrato Consolationis uolumine, hanc humanarum calamitatum materiam aureo eloquentię suæ flumine elegantissime simulatque copiosissime prosecutus, uitam hominum usqueadeo luxit & lamentatus est, ut qui ea legerent, nihil aliud, ut ait quidã, cuperent quàm has res seculares nostrasque relinquere. Plinius denique quodam Naturalis historiæ loco, nihil homine miserius ac superbius esse testatur: Cæteras quippe animantes solam sine ullis animi angoribus uictus curam habere confirmat & probat: hominem autem præter illa, quæ sibi cum brutis communia sunt, multis ac penè infinitis animi perturbationibus quotidie uexari ac torqueri asseuerabat. Hinc Herodoti historia quædam de Cleobe & Bitone duobus cuiusdam Argię sacerdotis filijs prædicabatur: Nam cum illa ad so-

lenne

lenne & ſtatutum ſacrificium curru de more in urbem ueheretur, modo neſcio quo factũ eſt ut iumenta morarẽtur: Vnde filij qui aderant, ueſte poſita, adiuuandi gratia corpora perunxerunt, ad iugum acceſſerunt, ac per hunc modum aduecta in fanum, cum currus ductus eſſet à filijs precata à dea dicitur, ut illis premium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſet à deo: Poſt epulatos cum matre adoleſcentes, ſomno ſe dediſſe, inuentos manè eſſe mortuos. Hinc Trophonius & Agamedes commemorabantur, qui ſimili precatione uſi dicebantur: nam cum Apollini Delphis templũ exædificaſſent, uenerantes Deũ petierunt mercedem non paruam quidem operis ac laboris ſui, nihil certi, ſed quod eſſet optimũ homini: quibus Apollo id daturum oſtendit: unde cum poſt diem tertium mortui reperirentur, mortem optimum quiddam eſſe iudicatum per eum Deum fuiſſe confirmabant, cui reliqui dij conceſſiſſent, ut præter cæteros diuinaret. Hinc poëtarum de Sileno

fabella ferebatur, qui ipsum à Mida rege captũ fabulantur: nec prius ab eo dimissum & relaxatum extitisse asseuerabant, quàm regem docuisset, nõ nasci homini longe optimũ esse: proxime autẽ, quàm primum mori. Atque hoc ei muneris pro sua missione & relaxatione dedisse scribitur. Qua quidẽ sentẽtia & Euripides & multi alij poëtæ in cõfabulationibus suis usi fuisse perhibentur. Hinc proueniebant nõnullæ pertinaces & obstinatæ quarundam Asiaticarũ gentium opiniones, quæ familiares & conuicinos lugendi gratia inuitare & domũ conuocare consueuerãt, ubi esset aliquis in lucẽ æditus: quod humanæ uitæ uaria reputabant mala. At qui labores morte finisset graues, hunc omnes amicos laude & lætitia exequi. Hinc Theombrotus Ambrachiota, etsi ei nihil accidisset aduersi, satius tamẽ mori quàm uiuere iudicauit, proinde sese è muro in mare obeundi causa proiecit. Hinc Socrates cum è uinculis & carceribus educi facile posset, interire quàm uiuere maluit. Hinc Cato Vticensis mortem sibijpsi

bijpsi consciuit: atq; sic è uita abijsse fertur, ut C. Cęsaris uictoriam certam quandam moriendi sui causam nactū sese esse gauderet. Hinc denique innumerabiles alij gentiles & ethnici sapiētissimi simul atq; fortissimi uiri extiterūt, qui his dūtaxat causis abducti, et sese uita priuarūt, et proprias suas suorūq; domesticorū mortes æquo & hilari animo tolerarūt. Sed quid opus est plura profanorū hominū exempla proferre, cum Salomonē in Ecclesiaste hoc idem planè & aperte sentire uideamus? Nam in principio à uanitate incipiens, & per totum postea procedens: Me, quodam loco inquit, tædet uitæ meæ, cum uideam uniuersa mala, quæ sub sole fiunt. Et paulò post ita scribit: Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua utriusq; conditio: sic moritur homo sicut & illa moriuntur: similiter spirāt omnia, & nihil habet homo amplius iumento: cuncta subiacent uanitati, & omnia pergunt ad unū locū, de terra facta sunt, & in terrā pariter reuertuntur. Quis nouit si spiritus filiorū Adam

ascendat sursum, & si spiritus iumentorũ descendat deorsum? Et inferius sic ait: Laudaui magis mortuos quàm uiuẽtes, & feliciorem utrisque iudicaui, qui nondum natus est, nec uidit mala, quæ sub sole sunt. & alibi: Melior est dies mortis die natiuitatis, & multa his similia complectitur. Cum Iob quoq; in sacro illo & celebrato eius dialogo inter cætera uerba hæc ponit: Homo natus de muliere breui uiuens tempore, repletus multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit uelut umbra, & nũquam in eodem statu permanet. Et alibi ita inquit: Militia est uita hominis super terram, & sicut dies mercenarij dies eius. & paulò post sic scribit: Externi sumus & ignoramus: quoniã sicut umbra dies nostri sunt super terram. Et infrà ait: Dies mei ueslociores fuerunt cursore. Fugerunt & non uiderunt bonum, & transierunt, quasi naues poma portantes, sicut aquila uolãs ad escam. Et paulò inferius dicit: Quare de uulua eduxisti me domine, qui utinam cõsumptus essem, ne ocu

lus

lus me uideret, fuissem quasi non essem de utero translatus ad tumulũ. Sexcẽta huiusmodi per totum pene librum hinc inde dispersit, quæ omnia sigillatim connumerare nimis longũ esset, cum Ambrosius insuper Mediolanẽsis episcopus uir sanctissimus atque doctissimus seorsum de bono mortis tractare, ac singulare q̃ddam opus separatim scribere nõ dubitauerit, in quo quidẽ opere et multa humanæ uitæ mala enumerat, & ad principalẽ conclusionẽ quã intendit, prędictas & alias quasdam Ecclesiastes autoritates cõmemorat; & ad confutationẽ quorundam quæ prius circa uituperationẽ mortis sibiipsi antea obiecerat, tria eius genera distinxit, atque obiecta illa dissoluit: ac demũ id in calce libri, q̃d à principio proposuerat, ꝓbare et cõfirmare conat̃. Postremo cum cõmemoratus Innocentius particularem quẽdam librũ cõposuerit, quẽ, ut suprà diximus De miseria humanæ uitæ nũcupauit, ubi à prima natiuitatis origine incipiẽs & usq; ad ultimũ finẽ tendens multa cõgessit, è quibus nos illa

duntaxat elegimus, quæ cæteris memoratu digniora, & ad nostrum refellendi & confutandi propositū aptiora fore putabamus. Postquam enim ipse de putrida quadam & uili embrionis conceptione disseruit, Omnes, inquit, tunc cū nascimur, quando nondū per ætatem infecti & deprauati esse possumus, ut certā quandā & ueram naturæ miseriā exprimeremus, uel mares uel fœminæ querulis & lamentabilibus uocibus lugemus & eiulamus: cunctos nanq; masculos in ha, fœminas uero in he, cum oriūtur, flere ac plorare testatur: & ad maiorem & euidentiorem huius suæ sententiæ confirmationem uulgarem illum & decantatum uersum allegās commemorat, quo sic enunciatur, Dicentes he uel ha quotquot nascuntur ab Eua. Et id nomen ita interpetratur, Eua nihil aliud quàm heu & ha, quorum utrumq; dolentis interiectionem esse confirmat: Et demum, ante peccatum uiraginem, & postea Eua appellari meruisse, subiungit. His igitur & huiusmodi ueluti solidis quibusdam & optimis,

optimis, ut sibi uidebatur, futuri ædificij sui fundamentis qualitercunq; iactis, per nuditatem, per pediculos, per sputum, per urinas, per stercora, per breuitatem temporis, per senectutẽ, per uarios mortalium labores doloresq́;, per diuersa hominum studia, per uicinitatẽ mortis, per multiplicia tormentorum genera, ac per plura huiusmodi humani corporis incõmoda, late copioseq; procedit. Quę quidem si nos, diuina fauente gratia, quemadmodum cupimus, pro modulo nostro cõfutarimus, oportune finem dicendi faciemus, ubi prius nosmetipsos & quoscunq; huius nostri operis lectores in calce libri diligenter & accurate admonuerimus, quatenus delectabiles et optimas humanæ naturæ conditiones, de quibus in tribus præcedẽtibus libris satis large, satisq́; copiose disputauimus, ab omnipotenti deo recognoscant, ut per bona opera in hoc seculo semp̨ læti & alacres uiuere, & in futuro postea diuina trinitate, à qua prædicta omnia nobis prouenerunt, perpetui frui ualeamus. Nos igitur

cuncta superius commemorata refellere & confutare uel maxime cupientes, eodem ordine ad confutandum procedemus, quo inter obijciendum usi sumus. Vnde à corpore incipientes ad imbecillitatem & cæteras eius incōmoditates, sic & in hunc modū respondere nō dubitamus: Catholici doctores nostri humanū corpus quod ab omnipotenti Deo ex limo terræ factū fuisse suprà diximus, tale extitisse testātur, ut partim mortale esset si protoplastus ille peccasset, quemadmodum eū fecisse scimus: partim uero si nō peccasset immortale efficeretur: primus enim homo mortale & quodāmodo immortale corpus habuisse perhibetꝰ. Vnde quæri solet, an utrunque ex conditione ipsius corporis habuerit, an potius immortalitas ex gratiæ beneficio ac priuilegio ꝓuenerit. Proinde in primo eius statu ita factū fuisse dicunt, ut si uoluisset uti que, non mori potuisset. In secūdo uero statu, postquam delinquēs transgressus est à primæua illa conditione sua, ipsum usqueadeò degenerasse & defecisse tradunt,

dunt, ut certam quandam & indubitatã moriendi legem cõtraheret. At in tertio gloriosæ resurrectiõis statu, tale tantũq; per gratiam effectum iri dicunt, ut mori non poterit, quemadmodũ in fine huius nostri operis, adiutore Deo, paulò latius & uberius ostẽdemus. Itaq; omnem corporis imbecillitatem & quascũq; ægritudines, & cætera quæq; eius incommoda à nobis antea commemorata, non ex natura sua, sed potius ex peccati labe contraxit. Vnde quicqd mali in præsentiarum habere ac possidere existimatur & creditur, meritò non eius naturæ, sed primæ potius transgressioni, quemadmodum suprà diximus, attribuendum est. Itaq; omnes prophanorum & sacrorum scriptorum cõquestiones & lamentationes de laudationis & bono mortis & de reliquis incommoditatibus suis deficere cessareq; deberent: quandoquidem tale non ab ipso deo, neq; ab eius natura, sed à peccato prodijsse & prouenisse nouimus. Cæterũ fortasse dicet quispiã: quanquã ita esse concederet, cõsequens tamẽ

non uideret,cum quæcunque hominũ corpora siue ex natura, siue potius ex peccato, ceu tu probare & asserere conaris, hanc fragilitatis & ægritudinis ac mortis & reliquarũ denique incommoditatũ necessitatem acceperint, acceptamque retulerint: quinimò talem & tantam molestiarum necessitatẽ reportarũt, ut quæcunque sit & undecunque prouenerit, iam à principio creationis naturalis effecta fuisse uideatur: quando eam moriendi & cæterarum malarum cõditionum legem cunctis humanis corporibus à principio natiuitatis suæ & omni quidẽ tẽpore immi nere & impendere nõ dubitamus. Hæc omnia & cætera huiusmodi etsi nos uera esse fateamur, pluribus tamen, nisi nimis queruli nimisque ingrati ac pertinaces & delicati essemus, uoluptatum quàm molestiarũ generibus potiri in hac nostra cõmuni & peruulgata uita, dicere & asseuerare auderemus. Nulla est enim, mirabile dictu, hominis operatio, si diligẽter & accurate eius naturam aduerterimus, ex qua ipse saltem non mediocriter oblectetur.

tur. Quippe singulis exterioribus, uidendi, audiendi, olfaciendi, gustandi & tangendi sensibus tantas semper & tam uehementes uoluptates capit, ut quędā interdum superfluæ ac nimiæ & superuacaneæ fieri uideantur. Quantis nanq; homo uoluptatibus capitur, partim ex certa quadam & expressa pulchrorū corporum uisione, partim ex sonorum & symphoniarū & rerum insuper magnarū uariarūq; auditione, partim ex florū et similium odorū olfactione, partim ex diuersa dulcium epularum suauiumq; uinorū degustatione, partim deniq; ex mollissimarum substantiarum attractatione, difficile dictu, quinimò impossibile foret. Quid de reliquis interioribus sensibus dicemus? quātas enim oblectationes in cōstituendis sensibiliū rerum discretionibus & differentijs afferre secum sensus ille perhibetur, qui communis à philosophis appellatur. Quantū quoq; nos delectat uaria diuersarum substantiarū & accidentiū imaginatio? quanū extimatio? quantum memoratio, quantū deniq; intellectio?

tellectio: cum ea quę iam aliquo particu lari ſenſu deprehēdimus, imaginari, com ponere, effari, meminiſſe, & intelligere cōſtituimus, uerbis ſatis declarare & ex- plicare nō poſſumus. Quocirca ſi homi- nes, quas fert uita cōmunis pluribus in- ter uiuendū uoluptatibus & delectatio- nibus potirētur, quàm moleſtijs & an- goribus cruciarētur, potius gaudere & cōſolari, quàm torqueri & lamentari de- berent: præſertim cum natura plura fri- gorum, æſtuum, laborū, dolorum, mor- borumq́ remedia, quaſi certa quædā il- larū ægritudinū antidota nō aſpera, non moleſta, non amara, ut plerunq; in phar macis cōtingere & euenire cōſueuit: ſed potius mollia, grata, & dulcia ac uolu- ptuoſa abunde affatimq́ ſubminiſtraue rit. Quemadmodū enim cū comedimus & bibimus, in depulſione famis ſitis mi- rabiliter oblectamur: ita cū caleſcimus, cū refrigeramur, cū quieſcimus pariter lætamur. Sed quoniam illa à guſtu perci piunt̃, cęteris omibus tāgibilibus quo- dāmodo delectabiliora uident̃, quę com

muni

muni et nõ particulari ipſorũ genitaliũ tactu apprehenditur: Quod à natura ſolertiſſima et callidiſſima atq; profectò unica rerũ magiſtra nõ temere & fortuito, ſed certis rationibus & euidẽtibus cauſis factũ fuiſſe philoſophi tradidere, ut longe maiores in coitu, q̃ in comeſtionibus ac potationibus uoluptates caperent, quoniam ſpecierum cõſeruationes principalius, q̃ indiuiduorum intendebat: quorũ alterũ per cõmiſtionẽ maris & fœminæ, alterum uero aſſumptione alimenti in reſtaurationem (ut ita dixerim) deperditi, conſeruabatur. Itaq; cunctæ de fragilitate, de algoribus, de æſtibus, de laborib9, de fame & ſiti, de tetris odoribus, & de huiuſmodi ſaporibus, intuitionibus, attrectationibus, laſſitudinibus, uigilijs, & ſomnijs, cibis & potibus, & cæteris ſimilibus humanarum incõmoditatum argumentis, opiniones ac ſententiæ ſingulis quibuſq; naturã rerum paulò diligẽtius animaduertentib. ac aliquãto accuratius cõſiderantib. friuolæ & uanæ atq; inanes eſſe uidebunt. Nã præallegatæ Ariſtote

lis, Ciceronis, Senecæ, Pliniiq́ autorita-
tes per ea quæ antea dicta sunt, meritò re
felluntur & cõfutantur. Quippe uidere
& audire tunc laboriosa & molesta sunt,
cum superuacua & nimia efficiũtur: At
cum modice ac mediocriter his et huius-
modi sensibus utimur, non modo neq́ fa
tiscimus neq́ laboramus, sed potius re-
focillamur, gestimus & gaudemus: etsi
natura corpora nobis infirma, ut ait Ci-
cero, et imbecilla et fragilia largita est: q̊d
negare & inficiare nõ possumus. Iam plu
rima huius infirmitatis, imbecillitatis &
fragilitatis nostrę remedia, ut supra dixi-
mus, affatim abũdeq́ subministrauit. Et
sic hoc nostrum domicilium ex terra ma
defacta, & humo, inquit uir patientissi-
mus, hoc est infimis fluidisq́ contextum
esse uidemus, nimirum ob admirabilem
quandam & delicatã huiusmodi corpo-
ris cõplexionem, qualis tanto & tam di-
gno & tam præstanti humanæ animæ re
ceptaculo cõpetere & cõuenire putaba-
tur, aliter fieri non poterat. Quapropter
cum rationibus & allegatis antiquorum
uirorum

uirorum autoritatibus abunde, ut credimus, hactenus ſatisfeciſſe uideamur, reliquum eſt, ut ad Innocentij ſummi pontificis rationes paucis reſpondeamus, ad quod nos ita parati itáque armati accedimus, ut aptas quaſdam & accõmodatas reſponſiones nobis non defuturas exiſtimemus. Si enim primi hominis corpus ex limo terræ, cæterorũ uero tam animatorum quàm inanimatorum corpora ex alijs elementis facta fuerunt, quæ quidem ſuapte natura, quàm cætera nobiliora et generoſiora cernuntur, ut ille dicit & ſentit, & nos facile concedimus, profectò hoc quodcunque terreſtre hominis opificium tanto præſtabilius & excellentius cunctis alijs uideri debuit, quanto cæteris & uentis & planetis & ſtellis nobilius erat, quę licet ex aëre & ex igne facta eſſent, inſenſibilia tamẽ & inanimata eſſe conſtabat: & piſcibus quoq; & auibus, quæ ex ipſo, & iumentis quæ ex terra pariter ſecum animata prodierũt, admirabilius apparebat: Nam hoc animal rationale, prouidũ & ſagax multo pro-

pterea nobilius corpus ꝙ iumenta et pe-
cora habebat, cũ quibus in propria mate
ria cõuenire uidebatur, quoniã ad agen
dum & ad loquendũ & ad intelligendũ,
quibus illa carebant, longe aptius & ac-
cõmodatius erat. Ventis uero & ſtellis,
rebus penitus et omnino inſenſatis, piſci
bus quoq; & uolucribus animatis utriſ-
que, pariter excellentius putari poterat.
Nam etſi cũ nullis prædictarũ rerum in
propria materia conueniret, inſenſatis ta
men illis, ex eiſdem rationibus & cauſis
quas de iumentis & pecoribus diximus,
prẹſtantius concludebat̃. Et aquatilibus
præterea & aëreis animantibus ſimiliter
excellentius credebat̃, quoniã tale ſua-
pte natura factũ fuerat, ut niſi peccaſſet,
mori & interire non poſſet, quẽadmodũ
ſuprà dixiſſe et oſtendiſſe meminim⁹, ꝙd
nullis aliјs corporib. cõueniebat: Vnde
terreſtre elementũ tãto cæteris admirabi
lius & prẹſtãtius uideri debet, quãto illis
ſuapte natura ignobilius & ineptius exi
ſtens, in corpore dũtaxat humano altius
ſublimatũ & dignius exaltatũ fuiſſe noui
mus.

mus. Atq; hæc de primi hominis corpo=
re breuiter dixisse sufficiat. Ad alia uero
cęterorum hominum communia corpo
ra, & ad illa quę de conceptione eorum,
& embrionū educatione, obijciebantur,
breuissime respōdere cupiētes, quod ad
hæc duo pertinere & spectare uidebatr̄,
eandem uel potius meliorē cum cæteris
pfectis animalibus conditionē eò sortita
fuisse respōdemus, quod corpora nostra
ex melioribus & delicatiorib. seminibus
q̄ brutorum omniū oriunt̄, ut sic orta ex
potioribus et purioribus, & ita dixerim,
sanguinibus nutriunt̄ & educant̄. Quo
niam sicut sperma ex supfluo alimēti, ita
pariter sanguinē ex ipsa eiusdē alimenti
substantia generari, certa quædā & cele=
brata philosophorū omniū sententia est.
Quanto igitur cibus cuiuscūq; animalis
delicatior et generosior est, tanto sperma
ex superfluitatib9 illius generatū melius
ac præstātius efficiet̄. Eodemq; modo de
sanguine sentiendū est, qui quidē in hō=
mine tanto præstantior q̄ in cæteris ani=
mantib. esse debet, quāto cibus human9

cæteris quorũcunque animantium alimentis nobilior existimatur & creditur. Cæteras obiectiones suas de nuditate & de imbecillitate & de aliis huiusmodi incõmoditatibus missas facimus: quoniam suprà incerta quadam plurium cõmunium obiectionum confutatione, satis pro facultate nostra diluisse uidemur. Nunc ad confutanda ea quæ de ignobilitate animæ dicebãtur, paucis accedamus. Dicæarchũ & si qui alij fuerunt qui ipsam nihil esse, totumque eius nomẽ irritum & inane, frustraque animãtes & animalia appellari cõtenderent, penitus omittamus: Quoniã ea de humana mente excogitauerunt, ut prorsus amentes et omnino inanimati ac prorsus insensati propterea fuisse uideantur, quoniam sese ipsam habere non cernerent. Hos proxime sequũtur, Thales, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Diogenes, Leucippus, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Hippias, Archelaus, Zeno, Aristoxenus, Varro, & quicunque aliquid corporeũ uel extra duce & de potentia materiæ educi & exinde si-

de si-

de ſimul cum corporibus interire exiſti mauerunt. His hebetibus &, ut ita dixerim, corpulentis & pinguibus philoſophis ea reſpondemus, quæ in ſecũdo huius operis libro poſuiſſe meminimꝰ, ubi inter cætera hæc Ciceronis noſtri uerba allegauimus, quæ ipſi ueritati & catholicæ Chriſtianorum fidei uel maxime con ſonabant: Animarũ nulla in terris eſt origo, nam nihil eſt in animis mixtum ac cõcretum aut quod ex terra natum ac fictũ eſſe uideatᷣ, nihil humidũ quidẽ aut flabile aut igneũ his naturis, nihil eſt ꝗd uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod præterita teneat, & futura præuideat, & cõplecti poſſit præſentia, quæ ſola diuina ſunt: nec inuenimꝰ unde ad hominem uenire poſſent, niſi à Deo. Singularis eſt igitur quædã natura atqꝫ uis animi, ſeiuncta ab his uſitatis notiſqꝫ naturis, ita quicquid eſt illud quod ſentit, ꝗd ſapit, quod uidet, quod uiget, cœleſte & diuinum, ob eamqꝫ rem æternum ſit neceſſe eſt. Et Ariſtoteles quoque philoſophorum princeps & caput, cũcta mixta

& simplicia corpora, sua cogitatiõe transcendit, atque quintam quandam naturam esse uoluit, è qua mens emanaret: cogitare enim & prouidere, & cætera huiusmodi, à nullo prædictorũ corporum prouenire posse putabat, quemadmodum Cicero de eo loquens quodam loco ista scribit: Aristoteles longe omnibus, Platonem semper excipio, præstãs & ingenio & diligẽtia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, è qua sit mens: cogitare enim & prouidere & discere & docere, & inuenisse aliqd, & tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari, hæc & similia eorum, in horum quatuor generum inesse nullo putat: quintum genus adhibet uacans nomine, et sic ipsum animum endelechiã appellat nouo nomine, quasi continuatam quandam motionem & perennem. Ad Epicureos & ad cæteros huiusmodi mortales, &, ut ita dixerim, plebeios & minutos philosophos parũ-

per

per ueniamus: quia animos unà cũ cor-
poribus interire pntauerũt, eosq́ ad illa
remittamus, quæ in prædicto huius ope
ris libro affatim & abunde retulisse me-
minimus: ne forte si hic apponeremus,
eadem pluribus locis repetere & replica
re obiurgaremur: Vbi nos diuersas ra-
tiones, multas magnorum philosopho-
rum autoritates, plurima sanctissimorũ
uirorũ oracula, & pleraq́ celebrata pro-
phanorum & sacrorum scriptorũ exem-
pla congessimus, illis qui immortales ani
mos ita esse putauerunt, ut in aliena cor-
pora quando è proprijs recedebant, in-
gredi cogerentur, quoniam qualis esset
animus sine corpore intelligere nõ pote
rant, ideoq́ formam aliquam figuramq́
quærebant, ac reuolutionem illam ina-
nem, insulsam, & insanã excogitauerũt,
illud Ciceronianum in eodem loco à no
bis allegatũ breuitatis causa repetamus,
qui quodam Tusculanarum suarum li-
bro ita inquit: Sed plurimi contra nitun
tur, animosque, quasi capite damnatos,

morte multant: neq; aliud est quicquam cur incredibilis animorũ uideatur æternitas, nisi quod nequeunt qualis animus sit uacans corpore intelligere & cogitatione comprehendere: quasi uero intelligant, qualis sit in ipso corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, q̃ locus, ut si iam possent in homine uno cerni omnia quæ nunc tacta sunt, casurus ne in cõspectum animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aërem. Hęc reputẽt isti, qui negant animum sine corpore se intelligere posse; uideant quẽ in ipso corpore intelligant. Mihi quidẽ naturã animi intuenti multo difficilior cogitatio occurrit, multoq; obscurior, qualis animus sit in corpore tanquã alienæ domui, q̃ cum exierit & in liberũ cœlum, tanquam domum suam, uenerit: Nisi enim quod nunquam uidimus, id quale sit intelligere nõ possumus, certe & deum ipsum & diuinũ animum corpore liberatũ cogitatione complecti possumus. Ad illa deinceps ueniamus, quę aduersus totã hominis personã proponebantur. Itaq; primo ad autorita

tes,

tes, postea ad rationes descẽdemus, quippe ad autoritates Hegesiæ, Crãtoris, Alcidami, Ciceronis, Plinij, Herodoti, Euripidis, Cleombroti, Socratis, Catonis, quorũ aliqui nõnullas mortis laudationes cõscripserũt: aliqui uero sese propterea interemerũt, quod per mortem multiplicibus humanæ uitæ incommodis & calamitatibus priuarẽtur. Primo, priscas cunctorũ gentilium scriptorum opiniones tunc uel maxime floccipendẽdas fore respõdemus, cum à catholica & ab orthodoxa sententia ullatenus discrepare uideantur. At cũcta à Deo creata ualde bona, ut sacra scriptura testatur, nemo sanę mentis ullo unquam tempore dubitauit. Quod si sic est, profectò hominem, cuius gratia omnia ualde bona & optima facta fuisse constat, nõ solum optimũ quiddam, sed etiam, ut ita dixerim, plusquam optimũ esse iure dubitare & ambigere non possumus. Humana igitur uita qua homo uiuere dicitur, generaliter misera esse fieriue non potest: aliter sequeret̃, ut id quod optimũ esse cõstaret,

in cõtinua quadam & perpetua miſeria uiueret. Quod quoniam falſum eſſe manifeſtũ eſt, nimirũ præallegatas uel poëtarum uel oratorum uel philoſophorũ, qui de miſeria humanæ uitæ diſſeruiſſe atq; ſcripſiſſe perhibẽtur, autoritates falſas ac friuolas & inanes extitiſſe apparet. Quod quidem rationibus ſuperius probatum, famoſo quoque beati Auguſtini teſtimonio confirmatur, qui duodecimo De ciuitate Dei libro uerba hæc poſuit: Sicut melior eſt natura ſentiens etiam cũ dolet, quàm lapis qui dolere nullo modo poteſt: ita rationalis natura præſtãtior etiam miſera, ꝙ illa quæ rationis uel ſenſus eſt expers, & ideo in eam nõ cadit miſeria. Quod cũ ita ſit huic naturæ, quæ in tanta excellẽtia creata eſt, ut licet ſit ipſa mutabilis, inhærendo tamen incõmutabili bono, id eſt ſummo bono, beatitudinem conſequat̃, nec expleat indigentiã ſuã niſi utiq; beata ſit, eiq; explendæ non ſufficiat niſi Deus, profectò non illi adhærere uitiũ eſt. Idipſum Lactantius pluribus inſtitutionum ſuarum locis uerum

teſtatur:

testat̃: quãdo Ciceronis & aliorũ qui de bono mortis nõnulla literarũ monumentis tradiderũt opiniones refellens, sic inquit: Cicero in principio consolationis suę dixit, luendorũ scelerũ causa nasci homines. Iterauit idipsum postea quasi obiurgãs eum, qui uitã nõ esse plenã malis putet. Recte ergo pręfatus est, errore ac miserabili ueritatis ignoratiõe se teneri. Et nõ multo post ita subiũgit: At illi qui de bono mortis disputãt, quia nihil sciũt, sic argumentant̃: Si nihil est post mortẽ, nõ est malum mors: aufert enim sensum mali. Si autem supersunt animæ, etiam bonum est, quia immortalitas sequitur. Quam quidem opinionem illa sua admirabili eloquẽtia penitus diluit, & omnino refellit, ac prorsus redarguit, et ad extremũ falsam cõuincit. Ad celebrata illa Socratis, Cleombroti, Catonis exẽpla, eos nullis humanarũ calamitatũ rationibus, sed potius spe immortalitatis ad contemptũ uitæ tantũmodo adductos fuisse dicimus: Quod nisi ita esset, ipsi utiq; de magnitudine animi non fuissent à uarijs

ſcriptoribus tantopere laudati: quoniam laborioſa effugere, non fortis & magnanimi, ſed potius, ut inquit Ariſtoteles, mollis & eneruati hominis eſt. Pythagoras quoque uetat iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de præſidio & de ſtatione uitæ decedere. Idipſum etiam uerum eſſe deprehenditur & ex ea Socratis oratione, qua Plato facit eum uſum apud iudices iam morte multatũ: Magna me, inquit, ſpes tenet iudices, bene mihi euenire, ſi mittar ad mortẽ, neceſſe eſt enim ſit alterũ de duobus, ut aut ſenſus omnes omnino mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. & reliqua. Et ex Theombrotica Platonici libri de immortalitate animæ lectione, qui non alia de cauſa ſeſe interemit, ꝙ quia Platoni De æternitate animorũ in commemorato libro credidit: quem quidem beatus Auguſtinus in primo De ciuitate dei anteꝗ ſeipſum interficeret legiſſe teſtatur. De Catone præclariſſimo uiro ſentiendũ eſt aliter, plus cæteris ſui interemptoribus aberraſſe, ſi ſola euitandi

mala

mala quę sibi ex uictoria Cęsaris prouen tura suspicabatur causa, semetipsum interemisset, ut eò de magnanimitate etiã à prophanis scriptoribus tãtis ac tam magnis in cœlũ laudibus extolleret. Quod idem Augustinus in eodem De ciuitate dei libro eo loco maxime sentire & innuere uidet, ubi sic inquit: Cato Vticensis seipsum occîdit, siue turpe esse iudicauerit sub uictore Cæsare uiuere, siue potius eius gloriæ ne sibi parceretur inuiderit: ut ipse Cæsar dixisse fert. Plutarchus insuper ipsum eundem Platonis librum priusquã sibi manus inijceret in uita sua legisse testatur. Ad sacras illas Salomonis, Iob, & Ambrosij autoritates uarie respondendum fore censemus. Nam Salomon in prædicto Ecclesiastes libro ita locutus est, ut ad omnes totius mundi homines propalã quasi publicus præco & manifestissimus cõcionator loqueretur. q̃d ipsum & Cohelet Hebręũ, & Ecclesiastes græcũ nomẽ planè & aperte significat. Proinde secundum diuersas hominum conditiones, ita uarie & sentit & di

cit, ut pluribus locis sibijpsi manifeste ad uersari ac maxime repugnare uideatur: ceu illi sententiæ quum de uno & de eodem hominis & iumentorum interitu superius allegatum fuit, illud maxime contradicit quod in calce libri postea subiungit, ubi de homine loquens inter cætera ita dicit: Ibit in domũ æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes antequã rumpatur funis argẽteus, & recurrat uita aurea, & cõteratur hydria super fontẽ & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Et duobus quoque alijs, uidelicet uni quãdo dicit: Laudaui magis mortuos quàm uiuentes, & feliciorem eum iudicaui qui nondum natus est, neq; uidit mala quæ sub sole sunt. Et illi insuper alteri quando ait: Melior est dies mortis die natiuitatis. Et cætera huiusmodi plura apprime repugnant: ac præsertim hęc alia duo manifestissime cõtradicunt, unũ quãdo inquit, melior est canis uiuus leone mortuo, & alterum quando ita ait: ua

de ergo

de ergo & comede in lætitia panem tuũ, & bibe cum gaudio uinum tuum, quia placẽt Deo opera tua. Quapropter cum ex hac tam diuersarũ & inter se tam dissidentium sententiarum uarietate & dissonantia ac contrarietate, tum etiam ex mala & interdum non sana eius libri doctrina, inter priscos illos primitiuæ ecclesiæ Iudęorum doctores ac magistros, qui paulò post mortem Christi redemptoris nostri sacrum Hebręorum librorum ordinem instituerunt, quo nunc utuntur, & rabbi hebraice uocantur, diu disputatum fuit & dubitatum, Vtrum prædictus liber in firmo & solido quodam sacrarum scripturarum canone unà cum cæteris propheticis codicibus coordinaretur, uel potius anathematę damnatus igni combureretur. Et nisi in calce libri uerba hęc apposita legissent: Deum time & mandata eius obserua: Hoc est omnis homo, & reliqua huiusmodi: proculdubio codex iste iamdudum secundum prædictorum magistrorum

ſententiam ignibus cõbuſtus nuſquã ap pareret. Ad tot ac tam uarias patientiſſimi uiri autoritates ac ſentẽtias, eum librũ à Moyſe ſacroſanctæ legis latore in dialogo De prouidentia diuina compoſitum fuiſſe reſpondemus, ubi uarias & diuerſas interloquentiũ ſententias eſſe neceſſariũ eſt. Vnde cum omnes illas prꝫalle gatas autoritates, uel proprio ipſius ore, uel trium amicorum conſolatorum ſuorum uerbis enunciatas extitiſſe cõperiamus, eas pro falſis ac fallacibus propterea habendas dicere & aſſerere non dubitamus, quoniã ab Eliu ſapientiſſimo et optimo uiro, & ipſe Iob, & omnes tres amici in cunctis cõmemoratis ſententijs planè & aperte redarguti, & poſtea ab omnipotẽti Deo ita increpati & caſtigati fuiſſe uidẽtur, ut omnes prædictas ſententias in alias ueras & certas commutauerint, commutataſq́ꝫ conuerterint. Ad Ambroſiũ & cæteros huiuſmodi doctores ſi qui alij fuerũt, qui cogitatiões ſuas de bono mortis literis mandauerunt, reſpondentes, illos propter beatam & feli
cem

cem bonarũ animarum à corporibus se-
paratarũ futuram uitam, & propter ad-
mirabilem & pené incredibilem post no
uissimam resurrectionẽ humanorũ cor-
porum glorificationem, de qua in fine li-
bri paulò latius & uberius differemus,
ita scripsisse dicimus: quemadmodũ ex
proprijs eius scriptis planè & aperte de-
prehenditur. Cum ergo cũctas propha-
norum & sacrorum scriptorum autorita
tes superius allegatas pro facultate nó-
stra diluisse uideamur, reliquũ est ut de-
inceps ad rationes Innocentij pontificis
parumper accedamus. Primum nanque
& principale Innocẽtij nostri fundamen
tum, super quo totũ eius miserabile ædifi
ciũ, ex quo De miseria appellare placuit,
firmasse ac stabilisse perhibetur, de quo-
rumcũq; nascentium hominũ natiuitate
esse cõstat, quod quasi in principio cõme
morati operis sui meritò collocauit, ubi
de humanis calamitatibus differens, uer
ba hæc posuit: Omnes nascuntur eiulan
tes, ut naturæ miseriã exprimamus. Ma-
sculus enim recenter natus dicit, ha: foe-

mina dicit he: dicentes ha uel he, quotquot nascuntur ab Eua. Quid est igitur Eua? nisi heu, ha, utrunque interiectio dolentis, doloris exprimit magnitudinem. Hęc enim ante peccatū uirago, post peccatum Eua meruit appellari. Et reliqua huiusmodi. Postea prosequit̃: Vnde sesse optima futuri ædificij fundamenta iactasse putat: quæ profectò talia sunt, ut, nisi me debita summi pontificis reuerentia, quemadmodū ait poëta noster, contineret, leuia quædam & puerilia & à pontificia & apostolica grauitate longe aliena esse contenderem: Sed honestis quibusdam duntaxat dictorum suorum confutationibus ob maximam quādam defunctæ sanctitatis suæ uenerationē contenti acquiescemus, ubi nostræ confutandi & refellendi professioni, uel mediocriter satisfecisse uidebimur. Quale igitur & quātum sit hoc suum tam firmum ac tam solidum & tam adamantinum, ut ita dixerim, fundamentum, ante omnia paulisper considerandum est: ut eo diligenter accuratéque considerato, qualia

& quanta

& quanta fore debeant reliqua uere de=
bilibus & arenosis potius & fragilibus,
quàm glareosis & adamantinis funda=
mentis apposita, facilius animaduertere
atque euidentius intelligere ualeamus.
Ac primũ quàm falsum sit illud, & quàm
ab ipsa rei ueritate abhorreat, quod de
he & ha duabus naturalibus interiectio=
nibus, ad claram quandam & manifestæ
humanæ miseriæ expressionẽ, refert, ue
neranda sacræ scripturæ uerba planè &
aperte declarãt. Moyses enim diuino spi
ritu afflatus, in principio Geneseos ita
inquit: Et uocauit Adam nomen uxoris
suæ Euam, eo quod mater esset cuncto=
rum uiuentium. Itaq; huiusmodi Euę co
gnomine, propterea appellata fuit, quo=
niam mater & origo & principium esset
omnium hominum, qui ab ea, ueluti à
primæua radice propagandi, oriundi e=
rant: quemadmodũ ex sacris textus lati=
ni uerbis euidenter ostendit: licet in He
braico idiomate euidẽtius appareat, nam
propheta ille maximus in præallegato li
bro cunctarũ rerũ originẽ progressumq;

deſcribens, inter cętera ſic ait: Et uocauit nomen uxoris ſuæ Eua. & cauſam talis appellationis aſſignare & demonſtrare uolẽs, ſtatim intulit: quoniã mater omniũ uiuentium futura erat, hoc eſt cunctorũ hominum, qui ob humanæ naturę excellentiam et, ut Græci expreſſius dicũt, ob antonomaſiam uiuentes meritò appellari merebantur, qui quidem uiuentes hoc hebraico nomine nũcupantur. Sed pro eo hebraice ubiq; poſito, Hieronymus noſter omnium ſacrorum tam Græcorũ quàm Latinorum interpretũ accuratiſſimus, Eua euphoniæ cauſa ſemp expreſſit. Huic ſimile illud alterũ quod de uiragine dicit. Quãdo ipſam ante peccatum uiraginẽ, & poſt peccatũ Eua appellari meruiſſe cõfirmat. Quod pariter quemadmodũ & primum falſum eſſe demonſtrabit, præſertim ſi propria eiuſdẽ prophetæ uerba paulò diligentius & accuratius cõſiderabuntur, quæ talia ſunt: Dixitq; Adam, hoc nũc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, hæc uocabitur uirago, quoniã de uiro ſumpta eſt. Quod

etſi

etsi in latino sermone manifeste intelligatur, hebraico tamen manifestius & euidentius apparet, ubi ita exprimitur: Hęc uocabitur ischa, quoniã de isch (quod nomen latine interpretatũ, uirũ significat) sumpta est. Hieronymus uero ut etymologiam uerbi in sua quoad fieri poterat trãslatione efficacius seruaret, pro ischa hebraice posito, uiraginẽ à uiro deriuatã posuit. Hæc dicta, Iosephus primo antiquitatis Iudaicæ his uerbis uera esse confirmat. sic enim inquit: Ischa hebraica lingua mulier appellatur, nomen uero mulieris erat Eua, quę significat omnium uiuentiũ matrem. Quas ob res si Innocentius noster in principijs & in fundamentis suis luce clarius aberrasse deprehenditur, ut suprà probatũ et demonstratũ est, quid in reliquis quæ super prædictis erroribus fundata fuisse cernimus, eum fecisse existimabimus? non enim uerisimile eum in progressu operis uera sensisse, quẽ in principio ab ipsa rei ueritate longe aberrasse intelligimus. Atqui in hos tantos ac tam manifestos errores nunq̃

incidiſſet, niſi Hebraicarũ literarũ omni-
no expers fuiſſet. Sed qualia ſint ſingula
quęq; ſua, parumper uideamus: ac plura
eius capitula de ſingularibus hominũ ca
lamitatibus, cõfutandi cauſa, breuiter in
mediũ adducamꝰ. Quippe de nuditate,
de fructibus hominũ & arborũ, de incõ-
moditate ſenectutis, de breuitate uitę, de
labore mortaliũ, de uarijs hominum ſtu
dijs, de diuerſis anxietatibus, ac cæteris
huiuſmodi, quę ne lõgiores ſimus, breui
tatis cauſa prętermittimus, multa et dicit
& ſentit. Verũ ut in hac noſtra cõfutatio
ne ordine quodam incedamus, ab initio
de nuditate hominis incipiẽtes, pauca di
cemus, de qua ipſe loquẽs, ſic inquit: Nu
dus egredit̃ & nudus regredit̃: Pauper
accedit & pauper recedit. Ad quod nos
decoris et pulchritudinis cauſa homines
ita naſci oportuiſſe reſpõdemus. Primo
nanq; ſi uarijs diuerſiſq; pellibus inſtar
brutorũ cooperti & induti naſceremur,
q̃ turpis & q̃ fœdus eſſet aſpectus ille ſa
tis dici explicariue nõ poſſet. Ob excel-
lentiam quoq; cõplexionis noſtræ, quæ
ex deli-

ex delicijs humani seminis ꝓcedebat, ali ter cõtingere & euenire non poterat: sed quando aliter fieri potuisset, profectò natura quæ humanum corpus cæterorum omniũ operum suorũ pulcherrimũ ac nimirum formosissimũ opificiũ ab ea mirabiliter fabrefactũ, nunq̃ alieno indumẽto abscõdisset, ne fortè pulchritudines suas incõgruis & obiectis uelaminib. cooperiret. Aliter etiam si uoluissemus de naturali quodã omniũ hominũ nascentiũ uestimento respondere ualebamus: quod ꝓpterea facere noluimus, quoniã ipsum in eodem loco, hoc naturale indumentũ quo om̃es nascimur, satis his uerbis uituperasse legimus. Sic em̃ subiũgit: Si quis aũt indutus egredit̃, attẽdat quale proferat indumentũ, turpè dictu, turpius auditu, turpissimũ uisu, fœdã pelliculã sanguine cruentatã. q̃d nos de secũdina, sic em̃ pellicula illa cum qua infantes nascunt̃ à medicis appellat̃, ipsum intellexisse non iniuria interpretamur, quã ex necessitate materiæ unusquisq; inter nascendum ferre, ac paulò post in lucẽ ęditus deponere Secũdina.

naturali lege cōpellitur. Quid de hominum & arborū fructibus dicemus? quos ipse ad inuicem comparare uolens, paulò post prędictam nuditatem huiusmodi cōparationem aggressus, ita inquit: Herbas & arbores inuestiga, illæ de se prodeunt flores, frondes & fructus, & tu de te lendes, pediculos & lūbricos: illæ de se fundūt oleum, uinum, & balsamum: & tu de te sputa, urinā & stercus; illæ de se spirāt suauitatē odoris, & tu de te reddis abominationem fœtoris. Et sic in reliqua huiusmodi spurcitijs fœditatibusq; referta procedens, late copioseq; prosequit̃, quæ decoris honestatisq; gratia im præsentiarū omittam9. His tam pulchris ac tam formosis prædicti summi pontificis obiectionibus istam ipsam suam fructuum cōparationem absurdā esse & uideri, respōderi potest, nam proprius cuiuslibet arboris fructus uere dicitur is, quem arbor illa suapte natura producit. At proprij hominis fructus non sunt fœda illa & superflua spurcitiarum & fœditatū genera superius allegata, sed potius multi=

multiplices intelligendi & agendi operationes humani fructus habẽtur & ſunt, ad quas homo, ſicut arbor ad fructificandum, naturaliter naſcit̃. Et quanq̃ natura ſuperflua illa in homine nõ intendat, ex neceſſaria quadam cibi et potus repletione proueniant, mirabile tamen ac penè incredibile dictu eſt, quãtum pleraq; illorum quæ in homine ſuperflua dicuntur, ad plura rerum genera cõferre iudicantur, ceu de ſputis, de urinis & de ſtercoribus, ac de capillis à phyſicis ſcribit̃: Quippe ieiuni hominis ſputum ueneno ſis ſerpentium morſibus ophthalmiijsq; medet̃: eius uero urina ad laxandũ uentrem, & ad conſeruationem uiſus mirabiliter confert. Humanarũ aurium ſordes naribus illinitę, quibuſcũq; dormire nequientibus ſomnũ prouocare uidentur. Ad fertilitatem agrorum humanum ſtercus hominisq; capillos, quorũ ne unum quidem periturũ ex euangelica lectione didicimus, cæteris omnibus ſtercorandi generibus copioſius & abũdantius conducit. Quid ad incommoda ſenectutis et

Sputi hominis ieiuni efficacia

Vrinæ uis.

ad breuitatem uitę respondebimus? profectò quemadmodū cęteris superioribus fecimus, ita istis oportuna responsa nobis nō defutura iure existimamus & credimus. Nam si in primordio conditionis humanæ prisci illi maiores nostri ita longæui extitisse cōperiuntur, ut usq; ad noningentos circiter annos peruenerint, ceu Innocentius ad comparationem & ad detestationē huius præsentis uitæ nostræ, quam dicit esse breuissimam, nōnullas rationes adducere & allegare uidet: profectò Deus eo tempore rebus humanis propterea recte cōsuluisse, ac sapienter prouidisse perhibetur, quoniā aliter nec genus humanū in hac parua & præsentanea temporis breuitate propagari, neq; urbes ædificari, neq; scientiæ & artes adinueniri potuissent. Sed postquam prædicta omnia quæ hominibus necessaria erant, per diuturnitatē temporis adinuenta, in lucem prodiere, & demum perfecta & cōpleta in medium euasere, humana uita paulatim decrescēs, in hāc postremo quasi breuitatem peruenit, quam nunc

nunc uidemus. Quod Iosephus in præ-
dicto antiquitatis Iudaicę libro manifeste
cõfirmare uidetur, quando Deũ religio-
sis illis primęuis maiorib. nostris tam lon
gam ac tam diuturnã uitam ab initio cõ-
cessisse & condonasse tradit. Et non mul
to post de Thare Abrahæ patris morte
differens, cũ ipsum quinq; supra ducen-
tos ætatis annos uixisse dixisset, statim in
hunc modum subiecit: Recidebat enim
iam uita hominũ, fiebatq; paulatim bre-
uior usque ad generationẽ Moysi, post
quẽ terminus uitę positus est CXX. an-
norum: quoniam ad conseruationẽ et ad
salutem humani generis post multas plu
rimarum urbium ædificationes, post ple
rasq; utiliũ artium adinuentiones, ac post
humani generis propagationẽ, nequaq;
necessarium erat ut homines diuturnio-
ris & longioris uitę efficerent quàm nũc
cõmuniter uiuant. Satis enim, ad nostra
propria intelligendi & agendi officia, &
ad bene beateq; uiuendum, superq; sa-
tis et olim uiuebamus & nunc uiuimus:
quẽadmodũ Seneca in lib. De breuitate

uitæ, illam celebrem & peruulgatam de longitudine artis,& de uiuendi paucitate exclamationē refellens, planè & aperte demonſtrat. Ad ſenectutis incōmoda illa ſuprà obiecta cum anteactæ & ſimilis uitæ uoluptatibus & oblectatiōibus conferenda & cōparanda fore prædicamus: quod ſi fieret, certe multo plures ac maiores uoluptates,quàm moleſtias hominibus quondā inpræſentiarumq́ꝫ uiuentibus prouenisse ac prouenire non iniuria exiſtimamus & credimus. De labore mortaliū idem dicere ac reſpōdere poſſumus, quod de incommodis ſenectutis nuper reſpondimus: multo enim plures oblectatiōes,quàm labores ex humanis operationibus agentibus & operātibus nobis, propterea prouenire cenſemus, quoniā ſi ſingulas quaſque hominis operationes diligenter & accurate cōſiderauerimus,profectò ſicut nos ſemper inter agendū aliquantulum laboramus,ita pariter ac uehementius etiam in quacunqꝫ noſtra operatione oblectamur:homines enim inter uiuendū neceſſariò oblectari oportere,

oportere, celebrata Aristotelis sententia est: quinimò philosophus ipse in decimo Ethicorum, de uoluntate differens, eam ab hominis operatione nequaquã seiungi & separari posse confirmat & probat. Et quod admirabilius est, uoluptatẽ humanæ uitæ usq; adeò annexam & cõiunctam esse profitetur, ut ab ea nullatenus segregrari, seiũgiue possit. hæc enim eius uerba sunt: Quî autem per singulos sensus fiat uoluptas manifestũ est, dicimus enim uisionẽ & auditionẽ uoluptatẽ afferre. & paulò post cum uoluptatem ab omnibus experi probauisset, ita inquit: Sed utrũ propter uoluptatẽ uiuere expetimus, uel propter uitam uoluptatem, relinquatr̃ ad præsens, coniugata enim ista uidentur esse, nec separationem recipere: nam sine operatione non fit uoluptas, & omnem operationem uoluptas perficit, ut homo in continua eius uita à principio natiuitatis suæ usque in finem, semper & omni quidem tempore oblectetr̃. Quod si sic est, profectò plures uoluptates quàm labores esse constat, quemad-

modum suprà paulò latius & uberius di
xisse & explicasse meminimus. De ua-
rijs hominum studijs diuersisq; eorum
anxietatibus eodem modo respondendum esse cẽsemus, ne fortè in rebus tam
claris ac tam manifestis prolixiores simus,
quàm materiæ, de qua agitur, qualitates & conditiones requirere & exigere
uideantur: præsertim cum & cũcta supe
rius allegata, & cætera omnia quæ noui
ter de humanis calamitatibus dici & allegari possent, ex nouissima corporum
nostrorum resurrectione faciliter diluan
tur, atque abundanter & copiose confu
tentur: quando enim resurgemus, profectò tunc defuncta corpora sine aliqua
labe, sine aliqua corruptione, sine aliqua imbecillitate, sine aliqua deniq; deformatione, renouata gloriosissime resumemus: quæ non modo cunctarum infirmitatum, ægritudinum & cæterarum
omnium incommoditatũ, quibus nunc
abundare & undique affluere quotidie
experimur, penitus & omnino expertia, sed etiam totis singularum pulchritudinum

tudinum ornamentis referta apparebũt, quemadmodum per plures & admirabiles glorificatorum corporum conditiones, paucis deinceps demonstrabimus: Quarum prima est perpetua & æterna absque aliqua infirmitate sanitas, quę nullis morborũ generibus aliquatenus impediri prohiberiue poterit: de qua psalmista pluribus locis, & maxime eo carmine sensisse uidetur, quando dixit: Lauda anima mea dominum, qui sanat infirmitates tuas. Secunda, iuuentus sine senectute, non tantum homini hæc sua & perpetua corporis incolumitas prodesset, nisi quædam cõtinuæ iuuentutis beatitudo concomitaretur: nec etiam plurimum proficeret, si ille qui semper sanus esset, multorum tamen annorũ grauitate depressus, aliquo sustẽtationis baculo indigeret. Cuncti enim in perfecta & completa triginta duntaxat annorum ætate resurgemus: Nam Apostolus ita inquit: Donec occurramus omẽs in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in

Clarificati corporis cõditiones.

uirum perfectũ, in mensurã ætatis pleni tudinis Christi, qui quãuis trigesimotertio ætatis suæ anno pateretur, quoniã nihilominus trigesimo ex eremo, ubi diutius cõtemplandi & meditandi gratia latuerat, in lucem uenerat, & mũdo manifestus apparuerat, eapropter triginta annorum ætate resurgemus. Nec solum ea Christi ætate, sed etiam in statura corporis sui, mirabile dictu, resurgentes adstabimus, ceu suis uerbis testatur Apostolus, quando ita inquit: Prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Tertia, libertas corporum adsequetur. Corpora enim nostra quæ nũc tot necessitatibus, tot oneribus, tot peccati corruptionibus opprimuntur, tunc leuia & subtilia & ab omni labe libera nitidaq; efficientur. Quarta, est pulchritudo sine macula: si ẽm omnis corporis pulchritudo est congruentia partium, cum quadam coloris suauitate, profectò ibi erit perfecta et cõpleta pulchritudo, ubi nulla partium, ut ita dixerim, congruentia fieri poterit: Et ubi quoq; admirabilis quædã diuini co-

Ad Rom. cap. 8

loris

loris suauitas necessariò intercedens omnia condecorabit: Nam ita in sacris literis scriptũ esse constat: Fulgebunt iusti sicut sol, in regno patris sui. Quinta, accedet impassibilitas & immortalitas: ibi nanque habitantes neq; ab æstibus, neq; ab algoribus, neq; à fame, neque à siti, neque à senectute, neque ab ullis deniq; laboribus uexabuntur. Sexta, requies sine intermissione proueniet: ibi enim totus homo semper & omni quidem tempore conquiescet. Septima, perpetuũ & æternum absque ullo mœrore gaudium con comitabitur: Nam Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorũ suorum ita absterget itaq; emundabit, ut nusquam, neque ullo unquã tempore appareat: quippe neq; dolor amplius sentietur, neq; clamor et lamentatio ulterius audietur, quę prima unà cum hac uita mortali & seculari penitus & omnino abierũt & usquequaq; euanuerũt. Cum ergo per ea quæ dicta sunt, omnia quæ huic nostro laudabili de dignitate & excellentia hominis proposito obijci posse uidebantur, hacte

nus ut potuimus satis abundeq; confuta rimus, restat ut de beatorum præmijs & gaudijs, simulatq; de damnatorũ homi-num pœnis ac doloribus aliqua memo-ratu digna in medium adducamus. San-ctorum gaudia plura ac magna & penè infinita esse, nemo uel sacris literis me-diocriter doctus ignorat. Primo nanque gloriosissimo & suauissimo diuinæ maie statis aspectu perfruentur: quippe, ut ait Paulus apostolus, cum illas glorificato-rum corporum conditiones, præcipuas earum dotes & singularia priuilegia con spicabuntur, supra modum atq; incredi-biliter exhilarescent: beatorũ nanq; cor-pora usq; adeò lucida erunt, & nihil sit in rebus humanis, quod tanto & tam im-menso eorum splendori conferri & com parari possit. Proinde Esaias propheta et Matthęus euangelista hanc tam egregiã & tam singularem glorificatorum corpo rum claritatem per aliqua corporaliũ re-rum exempla exprimere uolentes, nec ex omnibus quicquã sole lucidius inue-nirent, nimirum quantum potuerunt so

lari

lari ſplendori æquipararunt: Alter nanque, Fulgebunt, inquit, iuſti, ſicut ſol in conſpectu Dei. Alter uero in transfiguratione Chriſti ſuper montẽ Thabor apparente uerba hæc poſuit: Reſplenduit facies eius ſicut Sol. Vſqueadeo quoque ſubtilia uidebuntur, ut neque hoſtia, neque parietes, neque muri, neq; mœnia, neq; aliqua alia adamantina impedimenta obſtare ac reſiſtere ualebunt, ut uno momento quocunque uoluerint prętergredi & penetrare nequiuerint. Quod Chriſtus tũc uel maxime indicauit, quando poſt reſurrectionẽ ſuam ianuis clauſis ingreſſus in medio diſcipulorum manifeſtus apparuit. Vſq; adeo inſuper agilia oſtendentᷣ, ut nulla grauitate ad pergendum quocunque cupiuerint aliquatenus impediantur: quod celebrato illo Chriſti exemplo euidentiſſime declaratur, quando periclitabundis diſcipulis opitulaturus, per mare Galilææ ſiccis pedibus inambulans hincinde perrexit. Poſtremo impaſſibilia & formoſa atque immortalia demonſtrabuntur, quando

nullo elementorum pondere grauabuntur, quando nulla turpitudine deformabuntur, quando nulla deniq; ægritudine debilitabuntur: Quando præterea infinitam beatorum canentium societatem & maximam quãdam sanctorum amicorũ multitudinem intuebuntur, admodum lætabuntur. Si enim amicitia in rebus humanis, ubi tot suspiciones, tot fraudes, & talia ac tanta pericula quotidie imminere cernũtur, ita suauis & dulcis est: quantum suauitatis ac dulcedinis in illa diuina & mutua ac uicissitudinaria charitate fore arbitrabimur, ubi erit sine aliquo dolo atq; ullo discrimine summa tranquillitas: Quãdo ulterius cœlestem illam Hierusalem ciuitatem inhabitantes, proprijs oculis uidebũt, apprime exultabunt: Cuius quidem fundamenta è duodecim candidissimarum gemmarum generibus iacta, mœnia circumcirca ex iaspide structa: portas pariter duodecim, singulas è singulis margaritis & unionibus confectas, Ioannes euãgelista in fine libri Apocalypsis suę, ex angelica reuelatiõe fuisse testatur:

testatur: ac reliqua huiusmodi magnificentijs excellentijsq; referta, late copioseq; complectitur. Ad extremũ, quando se in perpetua felicitate beatos, damnatos uero in æternis pœnis mãsuros contemplabuntur, profectò maximis & infinitis iubilationibus replebuntur. Huiusmodi beatorum gaudijs, totidem uel plura etiam miserorum hominum tormenta consonabunt. Nam primo miserabiles illi, diuina uisione priuabũtur: cuius quidem carentia, damni pœna à modernis theologis appellat̃: ac talis & tanta habetur, ut secũdum celebratas Chrysostomi & Augustini sententias, quicunque à cœlesti patria exulantes, cum huiusmodi uidendi Dei cõditionibus apud inferos, quàm alibi uspiam esse mallent ubi Deum uidere & conspicere nõ possent. Ad hanc talem & tantã damni pœnam infiniti & uerè intolerabiles, ignis, sulphuris, fœtoris, uermium, rigoris, & cæterorum talium perpetuorũ tormentorum cruciatus accedunt: quæ quidem pœna sensus ab eisdem theologis appel-

lari & nuncupari consueuit. Hæc duo ni mirum maximi quidē & cōtinui damnatorum lamentantiū, stridentiū & eiulantium gemitus, ploratus & ululatus concomitabuntur. Quid de horrido ac terribili illo infinitorum hominum pluribus intolerabilibus tormētorum generibus cruciatorum mutuo & uicissitudinario conspectu dicemus? quæ quidem ita tetra & horribilia sunt, ut ea nostra fugiat cogitatio, & reformidet oratio. Postremo quantum cruciabuntur, quando sese perpetuò miseros sine aliqua futuræ liberationis spe continuis cruciatibus consepultos imaginabuntur: Beatos uero, uersa uice, infinitis & sempiternis gaudijs repletos, satiatos, semper exultaturos & iubilaturos cogitabunt? Quapropter ut tandem aliquando finem dicendi faciamus, & ultimas demum huic nostro operi manus imponamus, cum primo quanta & quàm miranda sit humani corporis dignitas, quāta deinde esset animi sui celsitudo ac sublimitas, quāta præterea & quàm præclara ipsius hominis

ex dua-

ex duabus prædictis partibus composi-
ti excellentia foret, tribus superioribus li
bris satis abunde satisque copiose expli-
cauerimus: postremo cum hoc quarto
cuncta quæ cõmemoratis sententijs no-
stris maxime aduersari & repugnare pu
tabantur, hactenus diluisse & confutas-
se meminerimus: reliquum est, ut ad di-
ligentem quandam & accuratam diuino
rum mandatorum obseruationem præ-
sentes et posteros parũper exhortemur,
per quam duntaxat in cœlestem illam &
æternã patriam ascẽdere ualeamus. Itaq;
non modò Maiestatem tuam, Serenissi-
me princeps, ut ad te tandem aliquando
quasi longo quodam postliminio reuer-
tamur, sed quoscũq; etiam alios ad quo-
rum manus hæc nostra scripta fortè per-
uenerint humiliter & suppliciter depre-
camur, quatenus cuncta quæque diui-
na mandata obseruare & exequi uelitis:
quod si quisque pro uirili sua efficere &
operari curauerit, nimirũ & temporalia
hæc priuilegia & perpetua utriusq; uitæ
præmia consequetur. Proinde cunctis

accuratis cœlestium pręceptorum obser uatoribus proculdubio contigerit, ut statim à principio natiuitatis suæ fortunati, semper & felices ac beati fuisse atq; esse & fore in æternum uideantur. Quocirca & rogamus & obsecramus omnes huius qualiscũq; operis lectores, ut ad hanc nostram breuem & amatoriã exhortatiunculã cæteris posthabitis diligenter attendant, atque ea operentur & faciant, quæ nos his ipsis breuiter persuadere conabimur. O homines, uel ô uiri potius, quinimò ô reges et principes et imperatores, postquam in tanta ac tam immẽsa dignitate & excellentia constituti & ordinati estis, ut omnia quęcũq; in mundo siue in terris & aquis, in aëre siue in æthere siue in cœlis facta sunt, uestro imperio ditioniq; subdita & subiecta esse per ea quæ suprà scripsimus nullatenus dubitetis, sit uobis cura uirtutis: hanc calcatis & suppeditatis uitijs, totis animi & corporis uiribus diligite: hanc amate, hãc obseruate, hanc quesumus apprehendite, hanc capessite, hanc complectimini, ut per conti

nuas & aſſiduas eius ipſius operationes, non ſolum felices & beati uideamini, ſed ut etiã immortali Deo quaſi ſimiles efficiamini. Veſtra enim intelligẽdi & agendi officia cum omnipotenti Deo cõmunia habentur & ſunt. Vnde ſi uobis per acquiſitionem & uſum uirtutis, tranquillæ immortalitatis beatitudo prouenerit, nimirũ in patria æterno illi principi quaſi ſimiles apparebitis: nam ſemper intelligendo et agendo ac cõtemplando, quæ ꝓpria ſolius dei officia credũtur, in perpetua & æterna beatitudine una & ſimplici uoluptate inſtar ſui cum continuis exultationibus & cũ ſempiternis iubilationibus & cantibus gaudebitis.

HAEC igitur habuimus quæ ad te, Sereniſſime princeps, de dignitate atque excellentia hominis impræſentiarum ſcriberemus: ac cūcta ſuperius à nobis late copioſeq́ explicata, toties uel maxime uera eſſe ſentimus, quoties in ſingulares illas & admirabiles perſonæ tuæ dotes & precioſa priuilegia oculos mentemq́ cōuertimus. Tūc enim quādo ſingula quæq́ tua humanæ naturæ beneficia diligēter & accurate cōſideramus, tale ꝓfectò corpus, talemq́ animū ex pręcipuis quibuſdā & egregijs utriuſq́ partis cōditionibus abs te haberi & poſſideri intelligimus, quali ſigillatim hactenus explicaſſe meminimus. Ex quibus tam excellentibus & tam prȩſtātibus mēbris ac muneribus inter ſe mirabiliter compactis & ſimul in unum cōuenientibus, talem profectò ac tantā ALFONSI regis perſonam in lucem prodijſſe conſpeximus, ut non communi & trita naturæ lege natus, ſed potius ab omnipotēti Deo inſtitutus & electus eſſe uidearis.

LIBRI QVARTI FINIS.



BASILEAE, APVD AND.
CRATANDRVM,
ANNO M. D. XXXII.
MENSE IVNIO.